# SORESINVS
## DE
# CAPITIBVS
## SS. PETRI, ET PAVLI.


SORESINVS
DE
CAPITIBVS
PETRI ET

# DE CAPITIBVS SANCTORVM APOSTOLORVM PETRI, ET PAVLI

In Sacrosancta
LATERANENSI ECCLESIA
aſseruatis
*OPVSCVLVM*

AVTHORE
IOSEPHO MARIA SORESINO
ROMANO
Prothonotario Apoſtolico I.V. Doctore,
ac Beneficiato Presbytero eiuſdem
Lateranenſis Eccleſiæ.



ROMÆ, Excudebat Maſcardus, MDCLXXIII.
*SVPERIORVM PERMISSV.*

EMIN.$^{\text{MO}}$ ET REVER.$^{\text{MO}}$ PRINCIPI

# D. FRANCISCO BARBERINO

SACRI CARDINALIVM COLLEGII

DECANO

S. R. E. VICECANCELLARIO, ETC.

*Iosephus Maria Soresinus Romanus felicitatum culmen precatur.*

NON Solùm debitæ obseruantię stimulis EMINENTISSIME PRINCEPS, sed etiam congrui consilij ratione adducor, vt EMINENTIAE VESTRAE offeram exiguum hunc lucubratio-

num mearum fructum. Ac primum quidem innumera in Maiores meos à Munificentia BARBERINA collata beneficia, cùm ad me transierint, me quoque multiplici iure ipsi obstrictum tenent. Quam verò aptè, & congruenter qualecumque hoc Opusculum in vestram se conferat clientelam, cùm illud meditarer, in mei de Scala Sancta libelli nuncupatoria epistola leuiter insinuaui, & nunc etiam summa cum animi voluptate memorabo. Nimirum in tegumento argenteæ imaginis, quæ venerando Doctoris Gentium Capiti adiuncta est, mysticæ APES extant, quas Vestræ Familiæ indices eo Diuini Numinis consilio sub Vrbano V. affictas persuasum est, vt in sacra Basilica, cunctarum verè Regina, ac Romanorum Pontifi-

cum

cumCathedrali lætiſſimum de Summo BARBERINAE Gentis Pontificatu, ad quem tam meritò glorioſiſſimæ memoriæ Pontifex VRBANVS OCTAVVS fuit euectus, auſpicium iam tum facerent Orbi terrarum. Vtroque igitur nomine quantulus hic ingenij mei fætus, vt in lucem edatur, ad eam, quæ iucundiſſimè ex Veſtra Purpura emicat, contendit, ne aliorſum tendens, in tenebras veriùs, quam in lucem impingat. Iam quoad Operis methodum, alicubi promiſeram, & ſanè optaueram, illud ad leges Chronhiſtoriæ redigere, ſed ab ea cogitatione ideò reſilui, quòd nimis interruptum, ac veluti lacunoſum euaderet. Vtvt res ceſſerit, non minori ſpe, quàm audacia de Veſtra Benignitate polliceor futurum, vt quemadmo-

dum

dum initio rerum Diuinus Author ab innocuo Paſtore primitias gregis non eſt dignatus accipere, ità Beneficentia Veſtra quæ Dei bonitatem Mundo tam præclarè repræſentat, ad

Geneſ. cap. 4. num. 4. munera reſpiciat, quæ velut alter Abel ſuper ara cordis Veſtro Nomini, quàſi Numini voueo, ac dedico, Cumulet interim EMINENTIAM VESTRAM Æternus Moderator felicitate, quam promeretur, maxima, atque Amplitudinem, & Animum ad ſumma quæque datum tueatur. Vale igitur, ac diù Eccleſiæ decori viue. Romæ ex Lateranenſi Patriarchio Tertio Nonas Aprilis Anno reparati Orbis 1673.

AV-

# AVTHOR
## AD
# LECTOREM

*RENVEBAT profectò animus ad Opusculum illud elaborandum, quod anno superiori publicis typis De Scala Sancta inscriptum euulgaui. Haud pondus est supra vires sustinendum: eaquè propter non tantùm mihi, qualis esset illa materia, sæpenumero cogitanti, sed & ipsi summam ob imperitiam meam præiudicium metuebam; vtpote quæ esset res difficilis, neque adhuc ex professo digesta, vrgentibus licet exhortationibus ad eam capessendam attamen declinabam. Illam tandem super humeros, tenui quamquàm meo ingenio non parem, sumptam ad exoptatum finem reduxi, ac in lucem dedi, libenterque receptam gratulatus. Quamobrem spes mihi animum attulit non minori euehi posse fortuna hoc alterum Opusculum de Sanctissimis Apostolorum Principum Petri, & Pauli Capitibus, quod modò typis mando: Hoc tamen more solito exili verborum apparatu peregi eorum minimè immemor, quæ Sanctus Hieronymus*

di-

S. Hieronym. tom. 3. qu. 3. ad Damas.

*dixit*: De Hæbraicis scriptis disputantem, non decet Aristotelis argumenta conquirere, nec ex flumine Tulliano eloquentiæ ducendus est riuulus, nec aures Quintiliani flosculis, & scholari declamatione mulcendæ: Pedestris, & quotidianæ similis oratio necessaria est, quæ rem explicet, sensum edisserat, obscura manifestet, non quæ verborum compositione frondescat; *Quidquid ergo inuenire potui, ad venerabilum Apostolorum Capitum honorem, cultum, deuotionem spectans, id totum humili, simplicique sermone præsenti in Opusculo colligendum curaui, & non de mea virtute, sed eorumdem Sanctorum patrocinio confidens persolui; Hoc autem, vt inspiccre posses, quæ sit in prædictos Apostolos animi mei propensio, vtquè tibi Lectori beneuolo viam pararem, vestigiaque relinquerem ad vlteriora, & altiora procedendum, & vtinam millies me antecellas, maioris enim, & vlterioris cultus erga illos cupiditate flagro. Cæterum si quid erroris inueneris, tuisque aliquid ingratum auribus perlegeris, ne mireris; nihil enim alienum à mea conditione commisi, cum sit effectus ignorantiæ meæ; si quid verò boni, & gratum, sunt fructus Apostolici. Tu secundùm documentum Simonidis, rei substantiam, nòn accidentia, velut Apis argumentosa decerpe. Vale.*

SYL-

# SYLLABVS
## Authorum, & monumentorum.

A

Abraham Bzouius
Acta in Visitatione Apostolica Vrb. VIII.
Ægydius Viterbiensis Cardinalis ms.
Alexander I. C.
Alphonsus Casarrubios
Alphonsus Ciaconius
Anastasius Bibliothecarius
Andreas Victorellus
Antonius Nebrissensis
Archangelus Caraccia
Augustinus Barbosa
Augustinus Patritius ms.
Idem ms.
Bernardus Vidonus
Biblia Sacra.
Blasius Baronius de Cesena ms.
Breue Vrbani VIII.
CLEMENTIS X.
Breuiarium fratrum minorum
Breuiarium Romanum
Bullæ Clementis V.
Vrbani V.
Bonifacij IX.
Gregorij XI.
Eugenij IV.
Sixti IV.

B

Baldus Vbaldus
Baptista Platina
Bartholomęus Chassanęus.
Bartholomæus Gauantus
Bartolus à Saxoferrato
Benedictus Millinus

C

Cæremoniale Gregorij X. ms
Cæsar Rasponus Card.
S. Carolus Borromeus
Cencius Camerarius ms.
Chronicæ incerti Authoris ms.

Co-

Io-

Pau-

Paulus Mucantius ms.
S. Petrus Damianus
Petrus de Natalibus
Petrus Fuluius
Petrus Iacobus Baccius.
Petrus Leo Casella ms.
Philippus Calderonus ms.
Pompeius Vgonius
Processus pro Canonizatione Vrbani V. Papæ
Ptholomæus Lucensis ms.

R

Raphael Cumanus
Reuelationes S. Birgittæ
Roma Subterranea
Rutilius Benzonius

S

Sebastianus Fabrinus
Sellius
Seuerinus Binius
Simon Maiolus
Statuta Vrbis
Stephanus Infessura ms.

T

Tabula magna Lateranensis ms.
Thomas Correa
S. Thomas de Aquino
Transumpta Martij Dominici Simij, & Marij Salomonij Notariorũ.

V

Vrbanus Millinus ms.

# AVCTORI

## I. M. S. E. olim Vasionensis.

*PRincipum Apostolici cœtus Capita Vrbs reliquarum*
*Iam dudum Princeps, & Caput Orbis habet;*
*Vrbani vt studio Quinti (SORESINE) reperta*
*Semper Christicolis vt veneranda refers;*
*Octauique dicas Vrbani cuncta Nepoti*
*Mellificas Cuius Paulus adunat Apes;*
*Isti igitur grati Coriphæi dona, Tuæque*
*Virtuti munus sed sine fine dabunt.*

# AD D. ABBATEM SORESINVM

*Diſtycon*

C. M. Epiſc. Thermularum .

*SPlendet Opus SORESINE tuum, ſemperque corona*
*Docta viris, Orbi & gloria ſemper erit.*

DE

DE

# CAPITIBVS APOSTOLORVM

## SORESINVS

*Anagramma*

## SINVS ROSE

I *Am SORESINE Sacros meruit tua Scala triumphos,*
*Quæ Roseo Domini tincta cruore fuit.*
*Nunc pariter Roseis, Petri dum tingitur Ostris*
*Et Pauli; geminà prole beata Nitet.*
*Proh, qualem Roseum spirant tua Nomina Odorem,*
*Oblectant superos, & tibi Serta gerunt.*
*Pande sinus SORESINE Rosæ, Nunc gloria Florum*
*Dum Petri, & Pauli, Purpura clara tegit.*

Humiliss. & addictiss. Seruus
Gaspar Antonius Gambirasius.

Ad Præclarum Virum

# DOMINVM ABB. SORESINVM

DE SACROSANCTIS CAPITIBVS

# DD. PETRI, ET PAVLI

*Opus edentē sub auspicijs Principis Eminentissimi*

## *FRANCISCI CARD. BARBERINI*

*Elogium.*

Idem decoris, ac perſpicacitatis in Operibus,
Oſtentat Aquila
Tuo in ſtemmate picta gentilitio;
Fulgorem Solis intueri,
Quid poteſt ferri lucidius?
Hoc admirabile illi eſt, & maximum.
Latentia vt pateſiant,
Tuum eſt:
In tempus edax, tradita penè obliuioni
Inueſtigando,
Te reddis conſpicuum,
Vt ſoluta obſcuritate, luceant in comperto
Sacra monumenta.
Verùm ſpectatæ tuæ virtutis honorem temnis,
Alterius ſub nomine gloriando,
Reflexis radijs è BARBERINA Domo emiſſis
Gaude

Illi

Illi in obſequium cede,
Quem vrbanum habes in purpura
BARBERINVM
Vt tuo huic iris purpurea abeat in coronam Opuſculo:
Et veluti vbique fulgente Sole,
Sub tanto Principe
Erga Sacra Capita Apoſtolorum
Meritiſſimè
Pietas propagata triumphet.
*Ioannes Baptiſta Nardus Romanus.*

## AD EVMDEM
*Epigramma.*

DOctior, incertis non tendis, vt Icarus alis,
Vt celebrem virtus, ingeniumque ferant;
Nec Phaetontèo metuis modo ab æthere labi;
Nam regis imperio, tùm ſimul arte vices:
Sacrata hæc Capita hinc extollere, duxeris vnum,
Et fidei primos reddere honore Duces.
Iam SORESINE tuæ ſunt hæc exordia laudis:
Noſcitur ex vmbra Solis in Orbe gradus.

Idem I. B. Nardus.

Aliud eiuſdem
## AD EVMDEM

DVm Capita inquiris ſacrata oſtendere mundo,
Fœdera confirmant Relligioque, fides,
Hinc certam ſibi præfigunt ad ſidera metam,
Hæc Capita in terris dùm pia Roma colit.
Oſtentent alij SORESINE volumina magna;
Hic liber in paruo; quis neget, eſſe Caput?

AL'

# ALL'AVTORE

## Il M. R. P, Fr. Antonio da Caprarola Lettore in Araceli, e Vicario Prouinciale.

*DI Teste coronate i Sacri Allori*
*Mentre rintracci, e le memorie antiche:*
*Rassembri Ape sagace in valli apriche*
*Che sfiora i campi, e succhia il miel da i fiori.*

*Anzi da più seluaggi, e ascosti horrori*
*Ella rubba dolcezze a Progne, e Psiche;*
*Tu con pietoso aculeo, e labbra amiche*
*Di Pontificie Bolle i campi sfiori.*

*Tu di giardin Celeste, Ella heroina*
*Di prato verdeggiante, e valle ombrosa;*
*Ella è vn Ape terrena, e tù Diuina.*

*Ella à i faui, tu à i fatti industriosa;*
*E congionta con Ape BARBERINA*
*Più d'ogni Ape tù sei Ape ingegnosa.*

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Magist. Sac. Pal. Apost.

*I. de Angelis Archiep. Vrbin. Vicesg.*

---

IVbente Reuerendissimo P. F. Raimundo Capisucco Sac.Pal.Apost.Mag.emeritissimo Pijssimam, ac Venerandam Historiam Capitũ SS. Apostolorum Petri, & Pauli, quæ asseruantur in SS.Lateranensi Basilica, omniũ Vrbis, & Orbis Ecclesiarum Matre, & Capite ex summorum Pontificum diplomatibus, aliisque antiquis Archiuis, præcipuè Lateranensi depromptis monumentis, & probatissimorum Auctorum historiis sedula industria, & accurata diligentia conquisitis à Domino Iosepho Maria Soresino Prothonotario Apostolico, eiusdemque Lateranensis Ecclesiæ Beneficiato Presbytero, & ab eodem stylo eleganti descriptam, ingenti quidem, ac spirituali perfusus gaudio quam libentissimè perlegi: Nihilque in ea adinueni, quod opus haberet ense Pauli rescindi, sed potius Petri triplici diademate Coronari, ac proinde publici iuris ad solamen Fidelium fieri posse iudico. Romæ ex Monasterio S. Pudentianæ die 13. Aprilis 1673.

*D. Iulius Bartoloccius Abbas Cistercien. ex Congreg. S. Bernardi Reform.*

---

*Imprimatur*. Fr.Raimundus Capisuccus Ord. Præd.Sac. Pal. Apost. Mag.

*Hu-*

*Huiuſcemodi Opuſculi Capita.*



De

# De Translatione Capitum SS. Petri, & Pauli ad SS. Lateranensem Ecclesiam, & ornamentis eorum.

## C A P. I.

I SACRATISSIMA Diuorum Petri, atque Pauli Apostolorum Capita ab Vrbano V. Summo Pontifice in Oratorio ad Sancta Sanctorum nuncupato inuenta fuisse, Baptista Platina, Cardinalis Ægidius Viterbiensis,

Platina in Vrb. V. pag. 268 post medium.

Ægid. Viterbien. in Historia viginti sæculorum per totidem Psalm. composita m. s. asseruata in Bibl. Angel. Vrb. fol. 257. à terg.

Franciſcus Carrier, Alphonſus Ciaconius, alijque deferunt, & ſolùm ad hoc de Galliarum partibus veniſſe Nicolaus Signorilis affirmat: deſierant enim eſſe in honore propter deſuetudinem, ac ignorantiam hominum, idque circa Redemptionis annum 1367. accidiſſe, Petrus Leo Caſella aſſerit, ſcilicet occaſione, qua idem Pontifex ſacras præfati Oratorij reliquias circumſpicere voluit, veluti ipſemet Caſella inibi olim Cappellanus hiſce verbis memorat: *Vrbano V. intorno all'anno 1367. volſe vedere le Reliquie della noſtra Capella, & con molta allegrezza vi ritrouò le Teſte de gl'Apoſtoli, e portolle in proceſſione frequentiſſima.* ſed conſequenti anno vniuerſo populo illa oſtendiſſe, Franciſcus Boſquetus ita refert: *Anno Domini 1368. iam inchoata die prima menſis Martij, dictus Vrbanus Papa venit ad Eccleſiam* Lateranenſem, *vbi cum in craſtinum in Sancta Sanctorum Miſſam celebraſſet, Capita Sanctorum Petri, & Pauli, quæ annis multis fuerant recondita, & ſub altari in quo Miſſam celebrauerat clauſa ſeruata aſcen-*

Carrier Gallus in Cronolog. Rom. Pont. verb. Vrb. V an. 1361. p. 327.

Ciaconius in Vrb. V. t. 1. col. 935 lit. B

Signorilis m. s. in Biblioth. Vatican. ſignat. num. 3536. tit. de reliq. SS. Later. Eccleſ. fol. 54.

Caſella in lib. mſ. cuius titulus: *Hiſtoria della Capella, e Compagnia del Santis. Saluatore in Lateran. cap 10.* cuſtod. in celeberr. Biblioth. Barberina ſign. num. 2008.

Boſquetus in Pont. Romanor. qui è Gallia oriundi in ea ſederunt, hiſtor. in vita Vrbani V. fol. 170.

*ascendens amphitheatrum dicta Ecclesiæ*(pulpitum videlicet Bonifacij Octaui, vt opinor) *ad communem plateam aspectum habens, toti Romano Populo sibi astanti exhibuit, & ostendit; & cum thecæ, seù capsæ, in quibus pro tunc erant reposita, essent satìs modicæ, & parui valoris, ex tunc alias nouas ordinauit fieri pretiosiores.* Pluribus interpositis ipse Author subiungit, altero post sequentem anno, nempe 1370. magna impensa conflata duo Apostolorum simulacra lapidibus pretiosis exornata, & in eis inclyta eorumdem Capita recondita, & in Sacrosanctam Lateranensem Ecclesiam translata: *Eodem,* inquit, *anno cum dictus Vrbanus Papa iam fecisset fieri, seu fabricari imagines, seu statuas pro conseruandis Capitibus Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, quæ erant de auro, & argento mirabiliter operatæ, ornatæque multis gemmis, & lapidibus pretiosis, valorque earum communi, æstimatione esset ad triginta millia florenorum, & vltra; deuotè & solemniter astantibus multis personis magnis, & notabilibus, Capita dictorum Sanctorum reponi: & in-* Idem Bosquetus ibid. fol. 184.

 *clu-*

*cludi fecit infrà ipſas, quæ etiam demùm fuerunt proceſſionaliter, & publicè vniuerſis Clero, & Populo Romano ad hoc conuocatis, præſentibus etiam aliquibus Dominis Cardinalibus, & Prælatis per Vrbē deportatæ, & demùm collocatæ ſupra Altare Lateranenſe in loco, ſeù alto, & eminenti ciborio ſuper quatuor columnas marmoreas ad hæc ſpecialiter mirè opere præparato, magniſque, & fortibus ianuis ferreis circumdato.* At hìc verba Codicis Vaticani æuo Vrbani V. conſcripti à Nicolao Proceſſi Beneficiato Lateranenſi non tranſeunda, qui de SS. Capitibus compendioſam relationem compoſuit quam licet diuiſam, & diſtinctā congruis locis referemus, ac de inuentione, & Capitum thecis ita loquitur. *Tandem propter temporum iniurias cum populis laterent dicta Sanctiſſima Capita, iſto noſtro tempore, omnium ingenti plauſu, & gaudio inuenta ſunt in capſis argenteis. Dominus Vrbanus Papa, quem Deus conſeruet, eorum dignitati inuigilando, pretioſas ſtatuas argenteas cum Capitibus aureis, ſaphyris, adamantibus, gemmiſque, proprijs ſumptibus per manus aurificiſabris Ioannis Bartholi*

Proc. in Codice miſcellaneo m.s. in Biblioth. Vatic. fol. 31. col. 2.

*tholi de Senis fabricato, inde in Basilica Lateranense ferculo marmoreo, sub arcu maiori solemniter collocauit, congruum esse dicens, vt Capita horum Apostolorum, qui sanguine suo Ecclesiam Catholicam plantauerunt in Orbe, in Prima Ecclesiarum omnium Matre, & Capite quiescerent, & poenam excommunicationis circa asportantes bona præfata Sanctissimorum Capitum suo diplomate fulminauit, incip. Sacrilegorum damnanda præsumptio, sub Dat. apud Montem Flasconem V. Kal. Augusti Pontificatus nostri anno octauo: Quod diploma iussit conseruari in Archiuio Laterano.* Neque profectò omittendum quod in actis vitæ eiusdem Vrbani Quinti manuscriptis post ipsius obitum exaratis legitur, videlicet. *Tempore Vrbani V. fuerunt inuenta Capita Apostolorum Petri, & Pauli in Ecclesia Lateranensi in Cappella, quæ dicitur Sancta Sanctorum, quæ Capita cooperiri Pontifex fecit purissimo argento vsque ad medietatem corporis, reponique mandauit in pulcherrimo tabernaculo hac de causa ab eodem constructo. Cumque ab aliquibus obijceretur, cur tam pretiosa Capita loco non munito relin-*

Ex processu pro sua Canonizatione in Arch. sec. Vaticano. fol. 123.

*queret*, *aiebat*: *Nunquid videtis quod Petrus habet in manu illas magnas claues*, *&* *Paulus fortissimum ensem? defendent seipsos*, *&* *ita sperandum*. Atque in ijsdem gestis vitæ ipsius Pontificis paulò inferius extat, vt sequitur.

Ex eodem Processu fol 124. a tergo.

*Vrbanus V. personaliter coram Senatore*, *Maioribus Vrbis*, *&* *nonnullis Cardinalibus perquisiuit in Cappella*, *quæ dicitur Sancta Sanctorum apud Lateranensem Ecclesiam*, *reliquias*, *quę antiquitus ibidem reconditæ fuerant*, *vbi inter cætera inuenit Capita Sanctorum Apostolorum Petri*, *&* *Pauli in vasculis argenteis paruis recondita*, *quæ reuerenter osculatus est*, *&* *Populo Romano in platea ante dictam Cappellam ad hoc congregato ostendit ipsemet*, *deinde per manus D. Guillelmi Episcopi Ostiensis*, *&* *Nicolai Card. Vercellen. Pro quibus Capitibus honorificè conseruandis*, *duas statuas argenteas ab vmbilico supra construi fecit*, *ponderis mille*, *&* *septingentarum marcharum argenti quaslibet*, *in quibus decorandis multos lapides pretiosos apposuit*, *rogauitque Principes Christianos*, *vt idem ipsi facerent*. *Itaq; Carolus tunc Francorum Rex duos flores aureos*

*cum*

*cum gemmis, & lapidibus pretiosis valoris vltra quatuormilia florenorũ, & Ioanna Galliæ, & Nauarrę Regina vnam Crucem auream magni valoris cum plurimis margaritis, necnon Ioanna Regina Siciliæ vnum cappellum Reginale gemmis, & lapidibus pretiosis ornatum. Quæ omnia secundum communem æstimationem excedebant valorem trigintamilia florenorum de Camera. Iis igitur ornatas statuas prædictas benedixit Vrbanus in palatio S.Petri, deinde illas tradidit Reuerendissimis D.Raynaldo Cardinali de Vrsinis, & Angelico Grimoardo nepoti suo Cardinali sancti Petri, qui Cardinales vnà cum Clero, & Populo Romano, & multis luminaribus processionaliter dictas statuas à S. Petro ad Lateranum duxerunt; necnon supra altare maius in loco supra quatuor columnas ad hoc specialiter præparato collocarunt.* Quare Petrus S.Mariæ Nouæ Diaconus Cardinalis, & Lateranensis Ecclesiæ Archipresbyter secum ipse perpendens eximiam istius Pontificis prænarratam munificentiam, iure optimo suis in Constitutionibus (quas postea in Pontificatu cum Vrbano successerit,

 suo

ſuo diplomate confirmauit) ſtatuit pro-ut ſequitur hiſce verbis: *Vt de largitione facta per Sanctiſſimum Patrem, & Dominum noſtrum, Dominum Vrbanum diuina prouidentia Papam V. perpetuis temporibus vigis memoria habeatur, determinamus, mandamus, & volumus, quatenus omni die poſt Primam, & pretioſa, teneantur omnes de gremio Eccleſiæ nominatæ, viuente ipſo Domino noſtro cantare vnam antiphonam de Spiritu Sancto cum verſu, & oratione eiuſdem, & alia oratione pro eo videlicet; Deus omnium fidelium Paſtor, & quod Canonici, & Beneficiati ibidem præſentes, & acolyti recipiant de diſtributionibus quantum de Hora Prima dictæ diei, & quod in die electionis ipſius Domini noſtri, quæ fuit dies viij. teneantur cantare Miſſam ſolemnem de Beata Virgine Maria, & in die Coronationis eiuſdem, & conſecrationis, quæ ſimul concurrunt, teneantur cantare ſolemniter Miſſam de Spiritu Sancto, in quibus Miſſis tantum recipiant omnes præſentes, quantum recipere debent diebus ſolemnibus pro maiori Miſſa, & etiam Vicarius. Volumus, & accepturi mandamus, quatenus poſt mortem D. N.*

Ex Conſtit. Lateranen. Eccleſiæ in eiuſdem Archiuio aſſeruatis.

*Pa-*

*Papæ post pretiosa statim loco prædictorum, teneantur cantare De profundis cum versiculis consuetis pro mortuis cum oratione Deus qui inter Apostolicos, & Fidelium, & recipiant, vt supra dictum est in Prima. Vltimò volumus, & mandamus quatenus omnes de dicto Collegio omni anno in die obitus sui teneantur dicere Vigiliam mortuorum cum omnibus tribus Nocturnis, & in crastinum pro eodem Missam solemnem cantandam per Canonicos; & pro dicto anniuersario inter præsentes tantùm viginti floreni auri de fructibus Cameræ distribuantur, & de dicta distributione Canonicus Sacerdos, qui celebrabit, habeat solidos prouisinos octo vltra distributionem, & Diaconus, & Subdiaconus solidos prouisinos quatuor pro quolibet. Volumus autem, &c. In quorum omnium testimonium præsentes nostras litteras in formam instrumenti per Ioannem Notarium publicum, scribamque nostrum infrascriptum subscribi, & publicari mandauimus, nostrique sigilli fecimus appensione muniri. Datum, & actum apud Montem Flasconem Anno à natiuitate Domini 1370. Indictione 8. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini,*

Do-

*Domini Vrbani diuina prouidentia Papæ V. anno 8. præsentibus, &c.*

2 Superius dicta translatio peracta fuit sextodecimo Kalendas Maij anni prædicti, prout ex sequentibus instrumentis liquet, quæ originalia in Archiuio Venerabilis Ecclesiæ Collegiatæ S. Angeli in foro piscium adinueni inter protocolla Antonij Laurentij Stephanelli de Scambijs, qui dum de huiusmodi actibus se rogauit, Caput Regionis S. Angeli erat; istaque ex ijsdem anno Domini 1671. nonis Ianuarij sedulò descripsi, atque collationaui, idquè ex Canonicorum benignitate, ac præsertim D. Hyacinthi Bouij Canonici, & Archiuistæ, quorum transumpta extracta à Martio Dominico Simio Curiæ Eminentissimi Cardinalis Vicarij olim Notario, nunc in Archiuio eiusdem Sacrosanctæ Lateranensis Ecclesiæ seruantur, ex prouida sedulitate accuratissimi Domini Ioannis Philippi de Rubeis Canonici, Secretarij, & Archiuistæ Lateranensis dignissimi: suntquè huiusmodi tenoris, videlicet. In

In Archiuio Later. in Armar. X. II. litt. N.

In nomine Domini Amen.

*PRæsenti publico Instrumento cunctis ubique pateat euidenter, & sit notum, quod anno à natiuitate Domini nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo primo Indictione nona, die verò secunda mensis Maij, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri D. Clementis diuina prouidentia Papæ X. anno primo. Ego Notarius publicus infrascriptus requisitus pro parte, & ad instantiam Illustrissimorum, & Reuerendiss. DD. Capituli, & Canonicorum Sacrosanctæ Lateranensis Ecclesiæ me contuli ad Collegiatam Ecclesiam S. Angeli in foro piscium de Vrbe, & signanter ad Archiuium eiusdem Collegiatæ intus Sacrestiam dictę Ecclesiæ existentem ad infrascriptum effectum, eoque peruentus, ex quodam libro, seu protocollo antiquo Instrumentorum manu q. D. Antonij Laurentij Stephanelli de Scambijs Ciuis Romani, & publici Notarij, ut apparet confecto, subscripto, eiusque signo pluribus in locis munito incipien. videlicet.* In nomine Domini Amen. *Hic est primus liber, siue Catastus acto-*

*actorum, & Instrumentorum diuersorum particularium, & personarum factus, aptatus, & compositus per me Antonium Laurentij Stephanelli de Scambijs Ciuem Romanum Dei gratia Almæ Vrbis Sacræ Romanæ Præfecturæ authoritate publica Notarium manu mea propria sub Anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo, Pontificatus Domini Vrbani PP. V. Indictione, mensibus, & diebus introscriptis, & ad fidem propria manu hic me subscripsi, & mei Notarij signum apposui consuetum, locus signi, videlicet, signum mei ✠ Antonij publici Notarij, & finien. videlicet; Et ego Antonius Laurentij Stephanelli de Scambijs Ciuis Romanus Dei gratia Almæ Vrbis Sacræ Romanæ Prædictis authoritate publicus Notarius, quia præsentis omnibus, & singulis in prædicto toto libro stipulato interfui, eaq; propria manu scripsi; ideo ad fidem propria manu huic fini scripsi, & subscripsi, & mei Notarij signum apposui consuetum. Loco † signi prædicti. Ex dicto inquam protocollo, seù catasto Instrumentorum in quarto charta pergamena cooperto in prædicto Archiuio asseruato, & per Admodum Reuerendum Dominum Hyacinthum*

Bo-

*Bouium Canonicum, & Archiuistam dictæ Collegiatæ S. Angeli mihi, &c. ac infrascriptis testibus in medium exhibito, sano siquidem, & nulla in parte vitiato, seu alterato signanter sub fol. 29. à tergo de verbo ad verbum prout iacet, vt infra videlicet.* In Christi nomine, & inuocato Amen. *Indictione VIII. mensis Aprilis die Martis 16. In præsentia mei Notarij, & quamplurium Notariorum, & testium; Reuerendissimi in Christo Patres, & Domini, Domini Franciscus de Thebaldescis tit. S. Sabinæ Præsbyter, Petrus S. Mariæ Nouæ Diaconus, & Raynaldus de Vrsinis S. Hadriani Diaconus, & S.R.E. Cardinales, & Ven: ac Reu. Pater, & Dominus, Dominus Iacobus de Mutis Episcopus Aretinus Domini nostri Papæ in Vrbe Vicarius, personaliter existente in cappella S.Laurentij, quæ dicitur Basilica ad Sancta Sanctorum de Vrbe, dixerunt, & protestati fuerunt, præsentibus, & intellig. magnifico Viro D.Bernardo Corradi de Monaldensibus de Vrbe vetere Almæ Vrbis Senatore, Nobilibus Viris Nicolao Valentini de regione Montium, Nicolao Tordonerij de regione S. Angeli, & Cincio Meliosi*

*de*

*de regione Transtiberim Conseruatoribus Cameræ Vrbis, & Romani Populi; Nobilibus Viris Gosmato Fer. de regione Montium, Alexio Pauli Henrici de regione Triuij, Ioanne Ferrario de regione Campi Martis, Nicolao Pauli Danielis de regione Pontis, Andrea Magni de regione Parionis, Thomao dello Muto de regione Arenulæ, Nicolao Saulli de regione Sancti Eustachij, Romolo Ioannis Muti de regione Pineæ, Rentio Ioannis Brendæ de regione Campitelli, me Antonio Laurentij Stephanelli Notario de regione S. Angeli, Ceccolino Ioannis Nennæ de regione Ripę, & Sotio Rotuli Calf. de regione Transtiberim xiij. Capitibus Regionum Vrbis, & quàm pluribus Presbyteris, qui de mandato Sanctissimi in Christo Patris, & Domini, Domini Vrbani Papę V. aperuerunt, & aperiri mandarunt, ac fecerunt sub altari dictæ Cappellæ, & ipsa aperta exinde extraxerunt Capita Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac remouerunt exinde, & translatauerunt in certis alijs figuris nouiter ordinatis de mandato dicti D.N. Papæ solemniter ornatis, quarum vna est figura S. Petri Apostoli, & alia est figura S. Pauli Apostoli, & ita ape-*

*aperiendo ostia dicti altaris cum nostris clauibus reuerenter, inuentæ fuerunt intus, & extractę duæ capsettæ argenteæ, in quarum vna erat scriptum, Sanctus Petrus, & in alia Sanctus Paulus sigillatæ sigillis dicti Domini de Vrsinis, & Venerabilis D. Viterbiensis Cardinalis, & Domini Blaschi olim Senatoris Vrbis, & ipsas capsas apertas, & duplicatas inuenerunt, & in eis semotis, inuenta fuerunt ossa cum dentibus, & illas reliquias posuerunt, & positę sunt in quodam alio vaso argenteo sindone rubeo inuolutæ, videlicet semotis illis Sancti Petri, ab illis Sancti Pauli, & demum ostia dicti altaris cum alijs reliquijs intus clausa fuerunt, & sunt, prout inuenta iam fuerunt, &c. Actũ Romæ in dicta Cappella præsentibus ijs testibus videlicet, Venerabil. Viris Domino Stephano Palotij Canonico S. Mariæ Maioris, Domino Theobaldo de Thebaldescis Canonico Basilicę S. Petri, D. Laurentio Ægidij Canonico Ecclesiæ Lateranensis, Magnifico Viro Raynaldo Vrsi de filijs Vrsi, D. Gometio Milite, Ioanne de Cinthijs Cancellario Vrbis, D. Petro Scattinati Canonico dictæ Basilicæ S. Petri, Nuccio Gibelli Fredo de Canale, Ceccho Cole*

*de*

*Thebaldeſcis , Lello Mathaleni , Rainono Chriſtophori Rainonis Mar. Vrbis , D. Bartholomæo Cionis de Piſtorio , &c.*

*Eadem die , & eodem inſtanti , & præſente Populo Romano , dictis teſtibus , & multis alijs , & maxime Domino Laurentio Domini Petri Ocidemenuno Cauſidico , Palotio Domini Angeli de Fuſcis de Berta de regione Montium , & Nuccio Rentij Ioannis Siſti Notarij de regione S. Angeli , &c. in pręſentia multorum Notariorum , & mei Notarij , &c. Supradicti Domini Cardinales , & Vicarius Papæ ſupradicta duo Capita Sanctorum Petri , & Pauli , pręſente Populo Romano , & alijs ſupradictis Officialibus , poſuerunt , & recondiderunt Caput videlicet S. Petri in figura , quæ apparet facta de Sancto Petro ſolemniter ornata , & Caput S. Pauli in alia figura , quę eſt figura S. Pauli , & ipſa omnia clauſa fuerunt in capitibus dictarum figurarum , & ſigillata ſigillis dictorum Cardinalium , & dictorum Conſeruatorum , &c. & demum recondita ſunt prædicta in Eccleſia Lateranenſi ſub arcu Saluatoris ſuper Altare maius dictę Eccleſiæ , &c. Quæ omnia fuerunt per me , &c. extracta ,*

*ſum-*

*ſumpta, & tranſumpta ex proprio originali, vt ſupra exiſten. cum quo facta collatione concordare inueni, ſalua ſemper, &c. non ſolum, &c. ſed, & omni, &c. Super quibus omnibus & ſingulis pręmiſſis petitum fuit à me Notario publico infraſcripto, vt vnum, vel plura, publicum, ſeu publica conficerem, atque traderem inſtrumentum, & inſtrumenta, prout opus fuerit, & requiſitus ero, Actum Romæ in Sacreſtia dictę Collegiatæ Eccleſię S. Angeli in Foro Piſcium de Vrbe præſentibus ibidem videntibus, audientibus, & intelligentibus videlicet Perilluſt. & Admod. R. D. Io: Fortunato filio b.m. Franciſci Presbytero Rom. & SS. Lateran. Eccl. Beneficiato, ac Illuſt, & Adm. R. D. Luca Aſcanio Mazziotto filio q. Franciſci Presbytero etiam Rom. teſtibus ad prædicta omnia, & ſingula vocatis, habitis ſpecialiter, atque rogatis.*

*Et quia de præmiſ. D. Martius Domin. Simius Cur. Em. & Reuer. Card. Vicarij Not. rogatus fuit; ideo ego Andreas de Blaſijs Not. pub. in eius Of. Admin. pręd. Inſtr. ſubſc. & publ. meoq; ſolito ſigno ſignaui requiſitus.* Loco ✠ ſigni.

De ſupradicta verò SS. Capitum tranſlatione quot annis à Capitulo Lateranẽ.

si xvj.Kal. Maij Festum deinceps vna cũ duplici Officio celebrabitur, idq; ex Decreto S.Rituum Congreg.emanato 4.Nonas Martij præsentis Anni 1673.

3 Nec quidem è dicto loco præfata Sanctissima Capita hactenus fuerunt vnquam amota; & licet aliqui ea delata credant ad Concilium Ferrariæ coeptum, & absolutum Florentiæ, ex eo quia apud Seuerinum Binium legitur: *Super altare autem propositus erat sancti Euangelij liber apertus medius inter Capitum thecas Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli cereis vtrinque tribus appositis*, Quod, & Victorellus refert, attamen id minimè intelligendum de veris Capitibus, quemadmodum neque prædicti Authores hoc asserunt, potius verò de figuris dictos Apostolos repræsentantibus censendum est; *Quod sanè exemplum* (Ioannes Baptista Casalius inquit) *præclarè respondet antiquæ illi Ecclesiæ consuetudini, qua Christum medium inter duos Apostolos Petrum, & Paulum pingi solitum Patres prouidere*. Anno enim 1438 quinto Idus Aprilis, & octauo Idus

Binius to. 8. Concilior. pag. mar. 424 v. super altare, & pag. marg 418. v. cæterum. Victorell. in addit. ad Ciacon. t. 2. col. 1155. lit. A. & lit. E.

Casal. de veterib. sacris Christianor. ritib. in notabil. ad. cap. 40. pag. 77. lit. A. f. 418.

Octo-

Octobris, à prænominatis fit de Sanctis Apostolorum Capitibus mentio, ac eodem anno ipsamet Capita feria secunda Paschatis, & in festiuitate eorumdem Apostolorum à quibusdam furibus Romæ eodem in loco gemmis spoliata fuerunt, tandemque mense Augusti illuc processionaliter restitutæ, veluti inferius dicetur: Ex eo etenim conditorio non possunt absque detrimento ciborij, & maximo ornamentorum iacturæ periculo dimoueri; idcircò Pius Secundus Summus Pontifex cum vellet occasione infrascripta, ipsa per Vrbem deferre, res ad exitum perducta minime fuit, de qua ita legitur in Commentarijs Pij II. hisce verbis: *Fuitque illi animus Apostolorum Petri, & Pauli gloriosissima Capita, quæ in æde B. Ioannis apud Lateranum condita sunt, obuiam ducere, atque cum illis extra Vrbem aduenienti sacro Andreæ Vertici occurrere: quod ne fieret argenti moles impediuit, quo ipsa Capita sunt inclusa, nam supra quatuor millia pondo feruntur: estque præterea multum ferri, quod neque frangi sine graui incommodo, neque por-*

Io. Gobellin. in Com. Pij II. lib. 8. fol. 193. n. versic. 44. impressionis Fran[...] furti.

*tari poterat . Omißa eſt igitur ea Capitum delatio, mandatumque, vt quibus diebus ante meridiem B. Andreæ Caput per Vrbem eueheretur, poſt meridiem Apoſtolorum Capita in Laterano publicè omnibus oſtenderentur, quod non ſine maxima populorum frequentia factum eſt.* Idq; ſic etiam Franciſcus Maria Turrigius ſcripſit: *Iam ſibi planè in animum induxerat Pontifex efficere, vt Apoſtolorum Petri, & Pauli Capita geſtando, quibus in Baſilica Lateranenſi magnus habetur honos, aduentanti Andreæ* (ſcilicet ſacro Capiti) *procederetur obuiam, ac quo minus id efficeretur impedimento fuit grande argenti pondus, quo eorumdem Capita includuntur : ſatis enim inter omnes conſtat, quater millena excedere librarum pondo; adde etiam gemmarum, vnionumque partim pendentium, partim inſertarum numerum, qui quidem ingens eſt. Adhuc ferri obices, quibus ne tantulum quidem ea dimoueri poſſe, niſi per ſummam induſtriam, ac crolloctationem, res ipſa monet; Itaque loco auelli infiniti eſt penè laboris, immenſi operis : his Pontifex acceptis, nec omninò voti compos effectus iubet quoties Andreæ Caput*

Turrig. in ſolemni trãſlatione Capitis B. Andreæ Apoſt. è Peloponeſo Romam ms.

*Vrbe*

*Vrbe circumfertur, toties Apostolorum vertices post pomeridianum tempus confluenti populo visendos proponi, cui libentissimis animis obtemperatum est rei.*

4 At hic desiderio nonnullorum cum admiratione aspicientium in prænarrato ciborio SS.Caput D.Petri Apostolici Senatus Principis ad sinistrâ Capitis D. Pauli satisfaciendi causa, æquum esse duxi, cum sit quæstio satis à pluribus agitata, & à Serrano in puncto dissferta, paucas sub nectere rationes, ex quibus clare cognoscent id non arguere, quemadmodum ipsi opinantur præeminentiam, vel superioritatem in sancto Paulo, potius vero recondita mysteria, diuinaque arcana continere: prædictas autem rationes, septem dumtaxat cum Ioanne Molano referemus, hasque ex libello eruditissimo, quem de imaginibus Petri,& Pauli ad Greg. XIII. scripsit Franciscus Mucantius I. C, Rom. & cæremoniarum Magister anno 1573. quarũ.

Serranus de septem Vrbis Ecclesijs fo. 645.& seq.

Molan. hist. S. Imag. lib. 3 cap. 24. f. 376

Prima ab antiquitate sumitur, & hanc primo loco vrget S. Petrus Damianus

In epist. ms. & apud Mucant.

nus Cardinalis Episcopus Ostiensis, qui ante annos 600. scripsit Desiderio Abbati: *Occurrit mihi quod ipse à me quaestione proposita saepenumero requisisti, cur videlicet in imaginibus picturarum per vniuersas adiacentes Romę prouincias, Petrus, qui primus est, ad sinistram, Coapostolus autem eius Paulus constituatur ad dextram cum iuxta vulgarem sensum, hoc rerum ordo deposcat, vt Petrus, qui Senatus Apostolici Princeps est, dextrum Domini latus; Paulus verò qui minor est sinistrum iure possideat: sed durum est valdè, vt opinemur, quia tàm egregium, tàmque famosum Apostolicae dispositionis ordinem inconsultè, atque inconsideratè deuota Deo, ac religiosa vetustas admiserit. Neque enim credendum est, vt Constantinus Imperator, imò Papa Syluester, totque post eos Principes, & Sacerdotes in Ecclesiasticę disciplinae cura peruigiles, atque solertes, hunc ordinem tantorum Principum negligendum ducerent, si increpatione aliqua dignum existimarent.* Et quòd verè à priscis vsque temporibus etiam à dexteris sanctum Paulum, & à sinistris Sanctum Petrum depingere moris

-ris esset, probatur ex vetustissimo sacello sanctæ Mariæ in Cosmodim Rauennę, in quo super maiorem aram sanctus Paulus ad prænarratum latus conspicitur, atque Sanctus Petrus ad sinistrum, quæ pictura, vtpote Hieronymus Rubeus astruit, mille, & plus annis ante quam ipsemet scripsisset, formata fuit, eiusque imaginem in opere quod de Cruce edidit Iacobus Bosius affert. Etiam in effigie Sanctæ Mariæ in Porticu paruo effcta in saphiro, ac de cælo prodigiose lapsa in domum sanctæ Gallæ Patritiæ Romanæ anno primo Pontificatus Sancti Ioannis huius nominis primi, vultus Sancti Pauli ad alterius Sancti Petri dexteram aspicitur, similiter in gloriosa icòne B. Virginis miraculis insigni in Diui Apollinaris porticu templi extante, Sanctissima Virgo in medio prædictotum Apostolorum extat, sed Paulus dexterum occupat locum; alibi etiam in picturis, & marmoribus sæpius obseruare licet; imò etiam nunc à prisca vetustate id positum est in more in

Rubeus in suis Histor. dictæ Ciuitatis.

Bosius lib. 6. cap. 12. f. 689

Apostolicarum litterarum sigillis.

Secunda ratio, quia Beniamin latinè sonat filium dexteræ: Constat autem Diuum Paulum haud solum de Tribu Beniamin fuisse, sed & ipsum Beniamin postremum inter filios Iacob, Pauli typum gessisse: atq; sic optimè Paulus natus dexteræ à dextera collocatur, cui Deus dexteræ suæ virtutem quodammodo amplius quam alijs est impertitus, & qui aduersus Gentes per fortem dexteram dimicauit, hancque rationem tradit etiam Ioannes Stephanus Menochius addens: *Hor se bene Beniamin fù l'vltimo frà tutti li suoi fratelli, nondimeno da Giacob suo padre fù chiamato filius dexteræ, e da Giuseppe anteposto, & honorato più di tutti gl' altri suoi fratelli; veggasi nella Genesi al c.* 35. *e* 42, Nec non huic alludere videntur carmina in pectore argentei simulacri ipsius S. Pauli Caput retinentis posita videlicet

Menochius Hist. part. 1. fol. 54. secundæ editionis cap. 21.

*Cedit Apostolicus Princeps Tibi Paule vocaris*
*Nam dextræ natus, vas, tuba clara Deo.*

Tertia ratio quia dextera significat vitam cælestem; sinistra autem tempora-

ralem, vnde non immerito dexter locus Paulo tribuitur, qui viuens adhuc ad cæleſtia raptus eſt; vbi arcana audiuit, quæ non licet hominibus loqui, & ad Apoſtolatum vocatus eſt Deo iam glorificato, pro cuius confirmatione rei equidem facit, quod in Theatro Vitæ humanæ de Darìo exponitur; iſte duos habebat filios, ſcilicet Artobazanem, & Xerſem, atquè inter illos contentio exorta fuit, quiſnam nimirum eorum poſt genitoris obitum in Regno ſuccedere deberet; Artobazanes ad ſui fauorem primogenituram adducebat; Xerſes vero haud ſibi poſſe hanc præiudicio eſſe affirmabat; cum ille natus fuerit ex patre non dum Rege, ſed priuata perſona, ipſe autem ex eodem regali corona inſignito, quamobrem diſcuſſis hinc inde rationibus, tandé Regni ſucceſſorem iudicatum fuit Xerſem futurum eſſe, qui verè deinde patre defuncto regni hereditatem adiuit. Petrus, cæterique Apoſtoli omnes, electi fuere à Chriſto hanc vitam agente in filios humana car-

Laurentius Beyerlink tom. 3. lit. G. verb. Gloria fol 47.

ne

S. Matth. c. 13 n. 55.

ne induto, & fabri filio appellato, sed Paulus ab eodem Saluatore adoptatus fuit corona gloriæ decorato, & immortali, hacque de causa à Diuo Petro illi præcedentia debetur, & dextera, licet ipse summus Pontifex existat. Sic Angelicus Doctor pro sancto Paulo decidit: *Petrus, qui vocatus fuit à Christo adhuc in carne mortali posito ponitur in Bulla Papæ in sinistra parte; Paulus verò, qui vocatus fuit à Christo glorificato ponitur in dextera.* Et supradictam tertiam rationem tradunt etiam Innocentius Tertius, Guillelmus Durandus, Ioannes Baptista Casalius, Menochius, & alij.

D Thom. in epist. ad Gal. c. 1. lect. 1.

Innoc. III. serm. de Euãgelistis. Duran. lib. 7 ration. c. 44. Casal vbi supra cap. 2. fol. 19. lib. A. B. Menochius loco citato.

Quarta ratio, quia Petrus maximè circumcisionis Apostolus fuit, Paulus verò Gentium; quæ relicta synagoga ad dexteram Dei ponendæ sunt.

Quinta ratio, quia per Petrum, præsens actiua vita effingitur, & ideò sinistrum latus ei competit, quo exprimitur Vita actualis. Has quinq; rationes refert præfatus Mucantius ex epistola sancti Petri Damiani ad Desiderium

Ab-

Abbatem ; ſequentes autem duas Mucantius ſuperaddit.

Sexta ratio, Petrus collocatur à ſiniſtris, vt inde documentum ſumamus, ſummum Pontificem humilitate decoratum eſſe oportere, veluti Petrus extitit: idque etiam aſſerit Caſalius. Vnde iſtud arbitror obſeruari in altari ſacelli Pontificij, quamobrem in Diarijs ms. eiuſdem Mucantij legitur prout ſequitur. *Die 17. Maij 1578. fuerunt veſperæ in Cappella in Vigilia Pentecoſtes, Papa venit in ſede habens pluuiale, & alia paramenta rubea noua, quæ hac die primum induit. In Altari fuerunt additæ ſtatuę argenteæ Apoſtolorum vij. vltra ſex, quę apponi ſolent, quas Sanctiſſimus Dominus noſter nuper conflari, & conſtrui fecit, vt complerent numerum treſdecim Apoſtolorum & certè fuerunt ab aurificibus pulchrè compoſitę & fabrefactę, ſed hac prima vice non fuerunt ſatis commodè in Altari aptatę, vndè non poterant omninò ritu conſueto thurificari, nam Crux, quę in medio Apoſtolorum Petri, & Pauli poni ſolet, remanſit cooperta imagine B. Petri, culpa aliquorum qui plus ſapere volunt, quàm oporteat*

Caſalius loco citato.

Mucan. in Diar. aſſeru. in Archiuio ſecreto Vatic. tom. 14. fol. 472.

sub ara, super quam mirifica omnium deuotione ad præsens venerantur, quod etiam affirmat Ioannes Seueranus: Et merito quidem, Ecclesiarum Capiti Capita Principum Ecclesiæ, qui eam plantauerunt sanguine suo, erant consignanda. Quamobrem Dionysius Paulus Lopis scripsit: *Quin, licet in Vaticana, & Ecclesia S. Pauli dimidiata Apostolorum Corpora honorificè condita sint: In Lateranensi tamen amborum Capita summa religione seruantur; vt ex praeminentia vtriusque Capitis, Ecclesiæ etiam praeminentia cognoscatur, iuxta text. in l. cum in diuersis locis, iuncta gloss. verb. cuius ff. de religios., & sumptibus funerum.* Et Eminentissimus Rasponus; *Capita etiam Principum Apostolorum sunt constituta in Lateranensi Basilica tanquam in Æde, quæ est omnium aliarum Caput, & Princeps;* Ac nouissime laudatissimus, & religiosissimus Dominus Aduocatus Paulus de Rubeis circa id, vt sequitur exarauit: *Possidet enim, nec non in ipsa fortunate reperiuntur gloriosissima Capita illorum supremorum Principum Apostolorum S. S. Petri, & Pauli,* qui

Seueran. vbi supra f. 507. § Vi fece, & fol. 528. § So pra di esso.

Lopis de vera quatuor Patriarchalium Sedium erectione cap. 16. n. 38. fol. 170.

Rasponus d. lib. 1. cap. 4. § Præter ea. fol. 22.

De Rubeis Decis. t. 13. in epist. nuncup. n. 9. 10. 11. & 12.

*qui sunt duo illa maiora luminaria Catholicæ fidei, atque in Ecclesia Sancta Dei Antesignani, & Principes maximi, pro cuius* (videlicet Lateranensis Ecclesiæ) *sane Principatus corroboratione congruit afferre illam apud nos Iuristas communiter receptam conclusionem.*

*Scilicet dato quod homicidium aliquod perpetratum fuerit in extremitatibus confinium duorum Principum, atque prorsus ignoretur in cuius Principis territorio illud fuerit commissum, tunc ad Principem illum spectabit cognitio talis delicti, in cuius loco repertum fuerit caput hominis occisi, licet totum corpus, præter caput in territorio alterius Principis prostratum inueniatur, auctoritate textus notabilis in l. cum in diuersis* 44. *ff. de religios. & sumpt. funer.*

*In quo textu firmatur quod cum per illationem corporis mortui locus ille efficiatur religiosus, si tamen ossa, & reliquiæ corporis mortui in diuersis locis ponantur, non tamen quilibet locus efficitur religiosus, sed tantum ille locus, vbi principalis pars corporis adest, prout est caput, per quod cognoscitur qualis homo ille est; & quod ità in terminis supradictæ quæstionis, quod vsu seruatur, sic in aperto profitetur constanter*

Ioan-

*Ioannes de Platea in repetitione §. quadam actiones n. 8. Institut. de actionibus, & eum sequitur Ioannes Oinoto in §. summa diuisio n. 40. pariter Institut. de Interdict. vbi affirmat etiam hanc esse notabilem quæstionem, & in vsu quotidiano frequentem, hoc est in iure satis vulgatum, vt regulariter loquendo, quod est magis principale attenditur argumento d. leg. cum in diuersis de religios. & sumpt. funer.*

*Sic quoque asseri potest in casu nostro, cum in dicta celeberrima Basilica Lateranensi reperiantur præfata gloriosissima Capita Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, qui fuerunt lampades vniuersæ terræ, & totum prorsus Orbem verbo, & exemplo illuminarunt, à quibus Religio Catholica sumpsit exordium; meritò igitur eadem Basilica debet habere præcedentiam, & Principatum super omnes Vrbis, & Orbis Ecclesias.* Hæc Paulus de Rubeis. Et hac de causa Vrbanus V. ipsamet ex Oratorio ad Sancta Sanctorum in Lateranensem Ecclesiam reduxit, *Congruum esse dicens* (veluti Nicolaus Processi supradictus ait) *vt Capita horum Apostolorum, qui Sanguine suo Ecclesiam Catholicam plantauerunt in* Processi ms. vbi supra.

 or-

*Orbe, in Prima Ecclesiarum omnium Matre, & Capite quiescerent.* Idq, clarè verba Bonifacij Noni confirmant, qui in Bulla incipiente *Sincera deuotio:* ac terminante. *Datum Romæ apud S. Petrum 16. Kal. Decembris Pontificatus nostri Anno primo*: inquit, vt sequitur. *Sincera deuotio, & singularis affectio, quas ad nostram Lateranensem Ecclesiam, quæ sub nostri Saluatoris nomine dedicata est, & in qua vtpote secundùm nonnullorum Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum declarationem vniuersarum Orbis, & Vrbis Ecclesiarum Capite, æterni Clauigeri Petri, & Prædicatoris gentium Pauli Beatorum Capita cum celebri veneratione seruantur &c.* Ac prædictus Author de S. Syluestro loquens in suo miscellaneo Codice trecentis, & plus ab hinc annis descripto, ad rem supradictam (an scilicet S. Syluester Capita collocaret in Basilica Lateranense, seu in Oratorio prædicto) ita scripsit: *Hoc præcipuum perfecit vt super lapidem porphireticum ossa dictorum Sanctorum Apostolorum diuisa, & portiones in Basilicis ipsorum nominibus dicatis reposuit, retentis Capitibus in æde* *habi-*

Bulla Bonif. IX sub plum. extat in Arc. Later. in Armar. XIV. lit. D E. n. 77. necnon transump. ipsius autenticum ibidem.

Idem ibid. fol. 28. col. 2.

*habitationis suę Laterani*. Sed tempore Sergij Primi, qui creatus fuit Pontifex anno salutis 687. haud in prædicto Oratorio ad Sancta Sanctorum, neque in Lateranensi Ecclesia adseruabantur, sed in Basilica Theodori, quæ ab Oratorio ad Sancta Sanctorum distinguebatur, sicuti æquè Millinus probat; Anastasius enim Bibliothecarius de præfato summo Pontifice ait: *Tunc Papa Sergius egressus foris Basilicam Theodori, apertis ianuis sedens sub Apostolis omnes suscepit &c.* Quare Onuphrius Panuinius scripsit: *Ex quibus verbis illud etiam intelligitur in eadem Basilica Apostolorum aliquot Reliquias, forte Capita, vel imagines fuisse*; Et quamuis postea scripsisset: *Capita Apostolorum eo loci illo tempore fuisse, ex ipso Bibliothecarij loco non ità clarè elici posse existimo* Nihilominùs denuò de eodem textu sermonem habens, iterum dixit: *Ego Apostolorum Reliquias, vel Capita intelligo*, cuius rei minimè dubitat Eminentissimus Rasponus; *Ego Apostolorum Capita fuisse non dubito*: Et quod textus non loquatur de aliquibus imagini-

Millinus in supradicto opusc. de orat. ad Sancta Sanctorū c. eodem f. 8. 9. & 10.

Anastas. in Sergio I.

Panuinius de Basilica, Baptisterio, & Patriarch. Lateran. ms. in eodem Archiuio lib. 4. c 15. fol. 167.

Idem ibid. cap. 21. f. 169

Ipsemet loc. cit. fol. 171. a tergo.

Raspon. l. 4. cap. 19. f. 366. §. In hoc etiā ad fin. & cap. 15. fol. 354. §. Et quia.

 bus

bus prædictorum Sanctorum, sed procul dubio de Sacrosanctis Capitibus, liquet ex prænarrato ms. Codice Nicolai Processi, qui multo antiquior Panuinio fuit, & ità scripsit: *Vbi diù asseruata* (de subiecta materia inquit) *vsque ad Sergium Primum in Basilica Theodori Primi super Sedem Pontificiam vulgò sub Apostolis dictam, vsque dum in Basilicam S. Laurentij ad Sancta Sanctorum translata fuere.* At quia antiquitùs in eadem Basilica ad Sancta Sanctorum tria altaria erant, vt colligitur ex ijs quæ in ms. Codice Lateranensis Archiuij leguntur, & Ioannes Diaconus Lateranensis exarauit, ideò in secundo altari eiusdem vnà cum Capitibus S. S. Virginum Agnetis, & Euphemiæ, Capita Apostolorum extasse, habetur ex eodem Codice in pergameno ms. seruato in Archiuio prædicto, qui æuo Alexandri Tertij iam caducus nimia vetustate erat, cuius verba sunt hæc: *In alio vero altari eiusdem Oratorij sunt Capita S. S. Petri, & Pauli Apostolorum, & Capita S. S. Agnetis, & Euphemiæ Virginum*; Et præ-

Processl. loco cit. fol. 29. col. 1.

Codex pergam. Later. in Arm. IV. cum cathena f. 17. in prin.

præfatus Ioannes Diaconus, qui prædictum Codicem tempore eiusdem Pontificis renouauit, in supradicto altari sacra Capita etiam eo tempore fuisse asseruata ijsdem verbis scripsit; Et cum postea Nicolaus Tertius prænarrati Oratorij laxiores terminos restrinxerit, & vnum dumtaxat altare reliquerit, quod hodie cernitur, sub eodem pridie Nonas Iunij consecrato à seipso, gloriosa Capita reposuit vnà cum Christi præputio, Beatissimæ Virginis capillis, & Capite Beatæ Agnetis, ex quo postmodum extracta fuere ab Vrbano V. & in Basilicam Lateranensem delata vt diximus, atque probauimus: Quamobrem Nicolaus Signorilis, qui iussu Martini V. Summi Pontificis Vrbis Reliquias descripsit, de præfato altari dùm meminit, inquit; *subtus altare verò dictæ Basilicæ* ( videlicet ad Sancta Sanctorum) *vnde fuerunt extracta Capita Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, remanserunt vna Crux de auro, in cuius medio est clauus .... Domini nostri Iesu Christi, & vnus calix cum patena, qui ibi*

Ioann. Diac. Later. ms. cũ præfato Cod. colligato fol. 47. post med.

Signoril. ms. in Bibl. Vat. sig. n. 3536. tit. de reliq. SS. Lateran. Eccl. fol. 55. à tergo.

*bi miraculosè repertus extitit, ac Caput Beatæ Agnetis cum carne, & capillis*: Dùm verò in eodem altari Sacrosancta Capita extabant, non tetigit ea omninò ignis, sed intacta penitùs euasere. Anno enim Christi 1308. tertio * Nonas Maij fortuito incendio Sacratissima Lateranensis Ecclesia, porticus, Patriarchium, & circumcirca ædes cunctæ exustæ fuere maximo cum Romanæ Ecclesię detrimento, sola ista Cappella, Sancta Sanctorum dicta, incolumis euasit, absque dubio Sacrorum Capitum virtute operante, quod Abraham Bzouius, Ioannes Villanus, Panuinius, Ciaconius, Rasponus, alijque deferunt, & in peruetusto sæpe citato Codice Nicolai Processi legitur; *Quæ Sacra pignora* (Capita scilicet Apostolorum) *anno* 1308. *dum ignis totam Ecclesiam Lateranensem incenderet illæsa, & incontaminata permanserunt, Clemente V. in sede Auenion. sedente*. Ex quibus, omnibus dictis, atque in isto Opusculo dicendis, euidenter patebit istorum Sanctorum Capitum indubitata identitas, de qua haud

* Ex Bulla Clement. V. apud Ciac. t. 1. col. 849. lit. E.

Bzouius Annal. post Baron. tom. 14. fol. 113. col. 1. § 12. Villan. lib. 9. cap. 97. Panuin. ms. lib. 1. cap. 7. f. 45 à tergo. Ciacon. col. 842. lit. A. Raspon lib. 1 cap. 5 fol. 30. § Quo autẽ. Processi. f. 31. col. 2.

ud loquor, ne res minimè dubia videatur in controuersiam reuocari, nunquam etenim de ipsa dubitatum fuit; quamuis enim in suspicionem aliquam inciderit Isabella Regis Francorum Germana soror, cui temerè, & non sine manifesta inuidentia, & malitia à Græcis, qui Sancti Pauli Apostoli Caput aliquandò penes ipsos extitisse fabulati sunt, Caput Pauli Episcopi Constantinopolitani (vt plerique credunt) pro illo Diui Pauli Apostoli fuit oblatum, ideoque istud sacrum pignus apud se esse iactaret, ea tamen grauibus, accuratisque Clementis IV. Summi Pontificis adhortationibus, de facili adducta est, vt de Capitibus Apostolorum testem S. R. E. consensum, & indubiam Christifidelium omnium persuasionem, quàm leuium homunculorum cantiones, somniaque æstimaret; de qua re in supradicto Vaticano Processi Codice ita scriptum est. *Clemens Quartus Isabellam Reginam Francorum de identitatem prædictorum Capitum dubitantem ex Græculorum quorumdam malitia, qui Caput Pauli* Proceß. f. 32. col. 2.

*Episcopi Constantinopolitani pro Capite S. Pauli obtulerunt, sua Papali epistola confirmauit*. Sed audiat benignus Lector ipsius Sanctissimi Pontificis prænarratam Epistolam.

Epist. 477. f.76. num. rubeo 33. in Arch. secr. Vatic.

*Dilectæ Filiæ in Christo Nobili Mulieri Isabellæ Charissimi in Christo filij nostri Illustris Regis Francorum Germanæ.*

*SCias filia Apostolorum Capita Romæ indubitanter haberi, quæ fel. record. Gregorius Papa Nonus Prædecessor noster de Sanctis Sanctorum suis manibus extrahens Romano Populo patenter exhibuit, & in locum suum restituit cum debita reuerentia præsentibus, & scientibus vniuersis. Quod si forsitan Caput Beati Pauli Apostoli apud te esse putas, depone conscientiam ne fallaris, ne ponas scandalum Matri tuæ Romanæ Ecclesiæ, quæ deceptionem huiusmodi non posset ęquanimiter tollerare. Si verò Græci aliquo tempore se illud habere dixerint, ne mireris, nam odio Latinos habentes, facilè tibi formauerunt mendacium, qui de fide mentiri Catholica, quod est maius, minimè dubitarunt. Benè igitur facies, si quid habes,*

*bes, dilecto filio nostro Simoni tituli S. Cęciliæ Presbytero Cardinali Apostolicæ Sedis Legato, nomine nostro reddideris nobis perinde mittendum, nè si ad alias manus deuenerit, possit indè cum erroris periculo scandalum suscitari. Dat. Viterb.* 14 *Kal. Maij an.* 4.

14 Antequam autem ad Sancta Sanctorum, vel ad Sacrosanctam Lateranensem Ecclesiam prædicta S. S. Apostolorum Capita fuissent delata, vna cum Corporibus, prout omnibus est manifestum, in puteo steterunt, qui adhuc in celebri S. Sebastiani Ecclesia extat occasione, de qua Vgonius ità. *Bernardo Vidone Frate dell'Ordine de' Predicatori, che fù al tempo di Giouanni XXII. Martin Polono che fù suo contemporaneo & altri, facendo vna tal narratiua: Nel tempo (dicono) di Papa Cornelio certi Greci rubborono i corpi de i Santi Apostoli per portarseli ne i paesi loro. I demoni, che habitauano nelle statue dell'Idoli, costretti da diuina potenza gridauano: Soccorrete Romani, perche i vostri Dei si portano via. I fedeli vdendo questo, intendeuano degl'Apostoli, e gl' Infedeli degli suoi Dei; dimodo che adunata insie-*

Vgon. stat. 11 fol. 86. à ter.

*sie-*

*sieme la moltitudine de Gentili, e de Christiani, si diedero à perseguitar quei Greci, i quali vedendosi scoperti, gionti alle Catacombe, quiui gettarono i corpi Santi in vn pozzo, d'onde poi furono leuati dal Beato Cornelio: Et dubitandosi quali ossa fussero di S. Pietro, & quali di S. Paolo, dicono, che postisi i Christiani in digiuni, & orationi, li fù diuinamente riuelato: Maiora ossa sunt Prædicatoris, minora verò Piscatoris.* Hæc Vgonius. Sed S. Gregorius Magnus in epistola ad Constantiam Augustam, qua se excusat non posse illi, sicut eadem cupiebat S. Pauli Caput largiri, sic rem istam commemorat: *De corporibus verò S. S. Apostolorum quid ego dicturus sum? dum constat, quia eo tempore, quo passi sunt, ex oriente fideles venerunt, qui eorum corpora, sicut ciuium suorum repeterent: quę ducta vsque ad secundum Vrbis milliarium, in loco, qui dicitur ad Catacumbas collocata sunt; sed ea dùm exinde leuare omnis eorum multitudo conueniens niteretur, ita eos vis tonitrui, atque fulguris nimio metu terruit, atque dispersit, vt talia denuo nullatenus attentare præsumerent. Tunc autem exeuntes Romani, eorum corpora,*

S.Greg.Constantiæ Augustæ lib. 3. epist.30.c.30 col.765.

*qui*

*qui hoc ex Domini pietate meruerunt, leuauerunt, & in locis, quibus nunc sunt condita, posuerunt*. Id etiam Ioannes Diaconus in eiusdem Diui Gregorij vita refert: sed quo tempore verè euenerit, & quandiu in catacumbis prædicta Sacra Corpora steterint, est sanè incompertum, ac dubium, sicuti ex Vgonio liquet, & Seuerano; hoc autem certum pro Capitum, & Corporum identitate existit, quòd dùm in Catacumbis præfata Corpora latuerunt, ipsa Angeli Sancti custodierunt, atque venerati sunt, vt ex Reuelationibus S. Birgittæ patet. At quia aliqui scripsere, ac inter cæteros Anastasius Bibliothecarius, S. Cornelium prædictum, qui anno post Christum natum 251. summus Pontifex creatus fuit, Lucinæ precibus prænarrata corpora de Catacumbis extraxisse, illudque S. Pauli eamdem Lucinam in prædio suo, via Ostiensi posuisse, & separatim à Corpore Caput, vt Seueranus dicit; Corpus autem S. Petri eumdem Pontificem Cornelium in Vaticano reposuisse, imo ipsamet

Ioan. Diacō. in Vita. Sancti Greg. l. 3. cap. 56.

Vgon. stat. 11 fol. 86.

Seuer. de sept. Eccles. fol 27. §. E ben vero.

Reuel. S. Birg. lib. 4. c. 107 Anastas. in Cornel.

Seuer. loco cit. fol. 385. §. Qui erano.

met

Breu. Rom. 16. Kal. Oct. Lectione 4.

met Sancta Mater Ecclesia id certũ in ipsius S.Cornelij officio supponit: Hinc propterea dicendum, quod S.Gregorius Magnus sub Romanorum nomine fortasse illud etiam S. Cornelij inclusit, veluti Seueranus differit; Sed hic præterire nolo quædam alia prodigia, quæ virtute eorumdem Sacrorum Corporum coruscarunt. Hæc idem D. Gregorius refert hisce verbis: *Corpora SS.Petri, & Pauli Apost. tantis in Ecclesijs suis coruscant miraculis, atq; terroribus, vt neq; ad orandum sine magno illuc timore possit accedi. Deniq; dum beatæ recordationis Prędecessor meus, quia argentum quod supra SS. Corpus B. Petri Apost. erat, longè tamen ab eodem Corpore ferè 15. pedum spatio, mutare voluit; signum ei non parui terroris apparuit. sed & ego aliquid similiter ad SS.Corpus S. Pauli Apost. meliore volui; & quia necesse erat, vt iuxta sepulchrum huiusmodi effodi altiùs debuisset: præpositus loci ipsius ossa aliqua, non quidem eidem sepulchro coniuncta reperit, quę quoniam leuare præsumpsit, atq; in alium locum transponere, apparentibus quibusdam tristibus signis, subita morte defunctus est.* Verum hæc obiter, & de isto Capite satis.

Idem Seuer. ibid. fol. 34. in princ.

D.Greg. vbi sup. col. 764.

De

# De veneratione Capitum praedictorum.

## C A P. II.

1 SI cunctorum Summorum Pontificum, Imperatorum, illustrium Procerum; atque Sanctorum, qui Sacrosancta Diuorũ Petri, & Pauli Capita venerati sunt, dumtaxat syllabum conscribere vellem, valdè quippe prolixus euaderem; quamobrem eorum nonnullos tantùm adducam, atque à Romanis Pontificibus exordium sumam.

Cencius Camerarius in suo Rituali anno Domini 1192. descripto, quo tẽpore Cælestinus Tertius Summi Pontificatus munus sustinebat, Summorum Pontificum in sacratissima Apostolorum Capita obsequium, ac venerationem hisce verbis testatur; *Sexta vero hora* (scilicet feriæ sextæ in Parasceue) *D. Papa*

Cencius Camerar. ms. in Arch.sec. Vatic. c. 14. Quid Papa facere debeat feria sexta in Parasc.

*Papa intrat cum omnibus Cardinalibus Basilicam S.Laurentij, vbi facta oratione accedit ad altare, coaperto, extrahit inde Capita Apostolorum Petri, & Pauli, & duas Cruces, quæ omnia, postquam D. Papa cum Cardinalibus osculatus fuerit, reponit ibidem, excepta vna Cruce, quæ iterum sigillato altari vnus Presbyterorum Cardinalium Crucem accipit, & sic vadunt vsque ad Ecclesiam Lateranensem sine cantu aliquo, & Psalmis, factaque ibi oratione, ascendit cathedram post altare, &c.* & alibi: *In festo Exaltationis S. Crucis de mane D. Papa cum Cardinalibus intrat Basilicam S.Laurentij, vbi extrahens Reliquias Apostolorum Petri, & Pauli, lignum S. Crucis, porrigit ea Cardinalibus deferenda ad Ecclesiam S. Syluestri, & D.Papa cum Cardinalibus, & Cappellanis intra Basilicam cantat Te Deum laudamus, extrà Basilicam verò S. Syluestri Primicerius cum schola Cantorum stat cantando antiphonas de Laudibus cum Psalmis, & Benedictus, & D. Papa dicit Orationem, vbi ante portam in tabula quadam ab Ostiarijs posita, mappis sicut conuenit honorabiliter cooperta, ipsas reliquias deponunt, quibus primùm à Pa-*

Idem cap. 27 Quid D. Papa facere debeat in Exaltatione Sanctæ Crucis.

*Papa, & Cardinalibus adoratis, eas postmodum populus omnis in eodem loco adorat; interim prima à Papa, & Cardinalibus plurima ibidem cantantur, &c. postquàm adorauerint D. Papa, & Cardinales processionaliter ibidem parati, prout supra dictum est in aliꝭs processionibus iunioribus Cardinalium reliquias ipsas portantibus, descendunt per gradus scalæ, & sic per viam communem processionaliter pergunt vsque ad Basilicam S. Ioannis Lateranensis. Notandū quod Canonici Lateranenses veniunt obuiam D. Papæ, vsque ad gradus scalæ cum Cruce, Primicerio cum schola Cantorum cantante responsorium; reliquijs super altare positis, D. Papa pergit ad Secretarium, & cantat Tertiam, post indutus pergit ad altare, & celebrat diuina, quibus ritè perfectis cum reliquijs per Palatium ad BasilicamS. Laurentij reuertitur.* Hactenus Cencius Camerarius, qui postea Honorius Tertius fuit.

2 Innocentius Tertius, qui ad summi Pontificatus apicem anno à Virgineo partu 1198. euectus extitit, maxima veneratione pretiosissima Apostolorum Capita est prosequutus; ipse enim subtùs

tus vno ex altaribus ipsius Basilicæ ad Sancta Sanctorum (nimirum secundo ex tribus, iuxta dicta in antecedenti Capite) in æneis armarijs eadem reclusit, quare altare, quod nunc adest hactenus retinet in medio duas æneas laminas, in quibus anaglypta Capita eorum cum nominibus incisa existunt, subtusque Diui Pauli Capite ex characteribus haud omninò malis legitur.

*Hoc opus fieri fecit*
*Dominus Innocentius*
*PP. III.*

Processus f. 29. col. 2. Panuin. ms. l. 4. c. 21. f. 171 Seuer. Sett. Chiese. par. 1 fol. 570. §. Le Teste. Raspon. l. 4. c. 19. f. 366. §. In hoc etiã.

Idque refert præfatus Codex Vaticanus, Panuinius, Seueranus, Eminentissimus Rasponus, & alij.

3 Honorius etiam Tertius prædictus anno redemptionis 1217. nudis pedibus processionaliter è Lateranensi Ecclesia ad S. Mariæ Maioris Basilicam sacra Capita detulit ob Christicolarum Principum vnionem, acquisitionis Terræ Sanctæ causa, cuius rei Odericus Raynaldus ita scripsit. *Honorius Tertius an. 1217. audito quod Andreas Rex Vngariæ,*

Raynal. Ann t. 13. an. 1217 num. 28.

*&*

*& Duces Austriæ, & Morauiæ terram Babiloniæ intraßent cum exercitu, scribens Archiepiscopo Arborensi, aliisque Episcopis illius Prouinciæ, vt diuinum implorent auxilium dicit: Sanè nos cum ad nostram peruenit notitiam illos terram prædictam intrasse, animam nostram effudimus coram Deo, illum pro eis in lacrymarum affluentia deprecantes: Et quia de meritorum nostrorum qualitate diffidimus, tam Clerum, quàm populum Vrbis conuocauimus in Basilica Saluatoris, atque indè ad venerandam gloriosæ Matris eius Ecclesiam, prælatis Capitibus Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli pedibus nudis processionaliter iuimus, vt præfatis Iesu Christi Athletis, eiusque Genitricis obtentu, supernum impetremus auxilium, ad quod nostra non sufficere merita sciebamus.* Hanc autem Honorij epistolam per extensum adducam in altera historia, quam Deo dante conscribam.

4 Gregorius Nonus anno 1239. Friderico II. Italiam deuastante, atque Ecclesiæ, Pontifici, Romæque iniquo animo infesto, aduocatis Clero, & populo, vnà cùm omnibus Cardinalibus, nudis

pedibus, ipsemet Sacra Capita protulit ad S. Petri Basilicam è Laterano, vbi ambonem illis cum Sanctissimis Capitibus ascendens, cuncto populo demonstrauit non sine lacrymarum vbertate, illum ad Ecclesiæ defensionem exhortans, quamobrem gens tota congemuit, inque fauorem eius fuere conuersi, secùs quàm antea erant, atque de hac re, sic Platina scribit: *Defecissent etiam Romani Ciues, ni Pontifex delatis per vrbem supplicando Apostolorum Capitibus, populum ad cōmiserationem mouisset*. Et in Vaticano Processi Codice dicitur. *De Gregorio Nono scriptum est nudis pedibus hanc eamdem scalam* (de Sancta loquitur) *descendisse, dum cum Sanctissimis. Capitibus Apostolorum processionaliter iuit ad implorandam Apostolicam intercessionem à Deo contra perniciem, quam minabatur Fridericus Imperator*; Ac iterum in eodem Codice. *Et Gregorius IX. Papa, & ipse de certa istarum reliquiarum virtute confisus tempore, quo Fridericus II. Italiam deuastabat, & ipse ad S. Petrum in Vaticano orantibus populis processit, & ad præfata armaria* ( videlicet ab Innocen-

Platina in Greg. IX.

Cod. Proces. fol. 22. col. 2.

Idem Proces. fol. 30. col. 1.

centio Tertio facta, veluti dictum est) *vnde amouerat, restituit*. Idemque inter cæteros referunt, Seueranus, & Eminentissimus Rasponus.

Seuer. f.584. §. Questa mostra. Rasponus lib.2.cap.13. fol.195. & lib.4.cap.19. fol.367. §.Id autem.

5 Nicolaus Tertius, qui anno Domini 1277. Pontifex summus fuit denuntiatus, suam erga Apostolorum sacrata Capita venerationem testatus est; Hunc etenim Pontificem è Lateranensi Basilica ad Sancta Sanctorum præfata inclyta Capita transtulisse, donec templum istud ipsius impensa restitueretur, Platina, & Martinellus affirmant, quæ postea ab ipsomet Nicolao in argenteis capsulis clausa in Lateranensem Ecclesiam pridie Idus Iulij translata, & in sacello ad hoc artificiosè fabricato collocata fuisse, idem Platina refert; sed verius Nicolaus Processi in Vaticano Codice circa huiusmodi translationem sic loquitnr: *Nicolaus III. Vrsinus Basilica ipsa ad Sancta Sanctorum vetustate collapsa, ipsemet Sanctissima Capita Apostolorum ad Lateranensem Basilicam cum Custodibus asseruari mandauit, donec funditus dicta Basilica ad Sancta Sanctorum reno-*

Platina in Nicol. III. Martinellus in Roma ex ethnica sacr. cap.9. f.140. §.Apud.

Processi.f.30. col.2.

*uaretur, qua readificata, palam astante Curia tota, ac populo Romano Sanctissima Capita praedicta suis manibus cum Cardinalibus sub altari eiusdem Basilicæ ad Sancta Sanctorum reuerenter reposuit.* Etiam Eminentissimus Rasponus dicit, in Lateranense Basilica mansisse eorum cultum, ac venerationem à pijs, & religiosis Viris habitam, donec Oratorium, seu Basilica ad Sancta Sanctorum fuit absolutum, quod Pontifex idem restituit, ac denique eumdem Nicolaum proprijs manibus sub altari ipsius Oratorij ad Sancta Sanctorum, quod pridie nonas Iunij consecrauerat, Sancta Capita condidisse, vt liquet ex inscriptione, malo tamen charactere in altari, quod hodiè extat. Verum Panuinius referens Ptholomæum Lucensem Torcellensem Episcopum, sic loquitur: *Nicolaus Tertius Vrsinus ruinosum* (scilicet Oratorium præfatum ad Sancta Sanctorum) *à solo opere perpetuo sub ipso cum lateribus marmoreis stabiliuit, ac in superiori testudinis parte, picturis pulcherrimis ornatum refundari iussit, Capitibusque Apostolorum, cum pra-*

Raspon. dicto libro 4. cap. 19. f. 362

Panuinius lib. 4. cap. 21. fol. 169.

*præputio Christi, Capillis Beatæ Virginis, & Capite Beatæ Agnetis seorsum positis, quarum reliquiarum vnaquæque in propria theca erat, & deinde manu Pontificis in palatium nouum Lateranense ab se renouatum de nocte transtulit, & à religiosis personis custodiri, donec Oratorium completum fuisset, iussit; quo perfecto astante vniuerso populo Romano, Prælatis cunctis, & Cardinalibus, ipse manibus suis sub eiusdem Basilicę altari, easdem argenteas reliquiarum thecas reposuit, quod altare pridie Nonas Iunij consecrauerat. Ita frater Ptholomæus Lucensis Ordinis Prædicatorum, qui eo tempore vixit.* Hactenus Panuinius. Ptholomæus Lucensis ms.

6 De Vrbani Quinti veneratione erga Sacrosancta Capita hic profectò sermo esset habendus, at quia de illo satis in superiori Capite, ideò modò prætereo, ac de illius Successore, nimirum Gregorio XI, loquar. Iste Cardinalatus, dum præfulgebat dignitate, Petrus Sanctæ Mariæ Nouæ Diaconus nuncupatus, vt dixi, & Lateranensis Ecclesiæ Archipresbyter, ipsa Sacrosancta Capita deuotè conspexit nudata, & re-

ligiosissimè veneratus est, nempè occasione translationis in noua argentea simulacra à prænarrato Vrbano V. confecta, prout ex primo instrumento in præfato priori Capite adducto patet, in principio, vbi post Franciscum Cardinalem de Thebaldescis, ipse nominatur, & pro maiori prædictorum Capitum veneratione, ad eorumdem custodiam perpetuis futuris temporibus duos Beneficiatos Lateranenses elegit, quos singulis annis in aliorum Officialium electione, Custodes Apostolorum deputare consueuit Lateran. Capitulum, quod me, licet immeritum, per quinque vices Primum Custodem destinauit, quo tempore vicissim socios habui religiosos Viros DD. Sinolfum Vicecomitem Romanum, & Franciscum de Angelis Alatrinum, atque hodiè huiusmodi munus exercent DD. Carolus Franciscus de Patriarchis Romanus, & Franciscus Maria Caranza Ligur; qui inquam Sanctorum Capitum Custodes Beneficiati ad præstandum fidele seruitium iuramento

ob-

obſtringuntur: quare in Conſtitutionibus ab eodem Pontifice editis habetur. *Item ſtatuimus, & ordinamus, quod Cuſtodes Beneficiati pro Cuſtodia Capitum Beatorum Apoſtolorum per Capitulum, & conſenſu Vicarij ſupradicti eligantur, & ſi aliter fieret, nihil per Camerarios miniſtretur eiſdem*; quibus partem oblationum maioris Altaris aſſignauit. *Datum, & actum apud Montem Flaſconem in hoſpitio habitationis noſtræ ſub Anno Domini Natiuitatis* 1370. *Indictione* 8. *die Lunæ prima Menſis Iulij, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri D. Vrbani diuina prouidentia Papæ V. anno octauo, &c.* Quas Conſtitutiones ad Pontificatum euectus ſuo diplomate confirmauit, incipit: *Et ſi prouidè, & laudabiliter*; finitque. *Dat. Auenion. Kal. Maij Pontif. noſtri an.* 3. Ad præfatorũ officium ante omnia ſpectat ſanctiſſimorum Capitum oſtenſio, quãdo ſcilicet demonſtranda ſunt, quod fit ſæpius in anno, ſtatutis diebus, de quibus inferiùs in conſequenti Capite dicam, pertinetque ad eos claues ſupradictas requirere,

Conſtitutiones Lateran. Eccleſiæ in Rubr. Quod Cuſtodes Capitum Apoſtor. Petri, & Pauli per Capitulum, & conſenſu Vicarij eligantur.

In Archiuio Later. aduolutum in rotulo, & nuncupatum la Tromba.

quando opus est, feras perlustrare, & similia sedulò facere, quæ nempe ad custodiam pertinent, & quando inclyta Capita ostenduntur, alter eorumdem in suo congruenti habitu, in signum ostensionis, campanulas pulsare solet, quod prædicti DD. Beneficiati peragere non dedignantur tantorum Capitum venerationis causa. Sed hìc incidenter non certè prætereũdus de præfatis campanulis euentus memoratu dignus. Nicolaus Soresinus Mediolanensis Canonicus Basilicæ Liberianæ Vrbis, insignis Theologus, ac patruus meus, casum defert quo diuina virtus in præseruando Capita Sanctorum Apostolorum, & Lateranensem Ecclesiam ab impiorum, sacrilegorumque incursione mirabiliter effulsit, scripsit enim, quod cum quadam vice, vrbe capta, hostis victoris copiæ hinc, inde diuisæ ad prædandum, & occidendum raperentur, & omnes Ciues, Ecclesiasticorumque Ministri perterriti latebras quærerent, factum est, vt dum magno impetu milites inhiantes Basili-

Nicolaus Soresinus in suis Miscellaneis ms. lib. 2. tit. de prodig. Campanarũ §. 29. n. 55. fol. 369.

cam

cam Lateranenſem ingrederentur; Clericus, qui ſolus in Eccleſia remanſerat, inter crates ferreas, Capita Beatorum Apoſtolorum ambientes, ſe recepit, & tremefactus, potiùs ex diuino impulſu, quàm ex propoſito, campanulas ſupradictas, quæ pro ſigno ad præfatorum Apoſtolorum Capita veneranda, & adoranda inſeruire ſolent, quarum funiculus tunc temporis inter crates pendebat, pulſauit: quo ſonitu inopinatè audito, non minùs, ac ſi clangores obſtrepentium inimicorum audiſſent, tantò indè timore, & tremore cælitus immiſſis repleti fuere milites, vt nemine perſequente terga vertentes præcipites effugerint; qua in fuga cum obuiam habuiſſent alteras eiuſdem exercitus militias, quæ etiam deprædare cupiebant Lateranenſem Eccleſiam; illæ verò, ex violento occurſu exiſtimaſſent Ciues paratos ad prælium aggreſſores habere, vel cupientes exuuiarum partem poſſidere, ſiuè alia de cauſa ſoli Deo nota, more Philiſtinorum, euaginatis hinc, in- 1. Reg. c 14. num. 20.

de

de gladijs, inter se decertantes corruerunt; Digna quidem tanti sceleris vltio; dicente Domino; *Dabo pauorem in cordibus eorum, in regionibus hostium, terrebit eos sonitus folij volantis, & ita fugient quasi gladium; cadent nullo persequente, & corruent singuli super fratres suos, quasi bella fugientes.* Hæc ex traditione meus præfatus Soresinus hausit. Certum tamen est prædicta BB. Apostolorum Capita ex tunc quo reposita fuerunt in loco vbi ad præsens venerantur, nullam incurrisse iacturam in tot, tantisque Vrbis depopulationibus, & malis, quibus sæculis elapsis Roma subiecta fuit: ex quibus patet eadem veneranda Capita manifesta Dei virtute præseruata fuisse.

Leuit. c. 26. num. 36.

7 Cæterum Martini Quinti Summi, & Optimi Pontificis in sacra Capita eximiam venerationem recensere, nimirum longum esset, quare hoc vnum de eius veneratione dixisse sufficiat, quod morti proximus iussit ante ipsa veneranda Capita suum corpus sepeliri, veluti Platina, & Ciaconius deferunt, quam-

Platina in Martino V. Ciacon. in Mart. V. to 2. colon. 1119. litt. C.

quamobrem anno 1431. decimo Kalendas Martij, quo ex hac vita migrauit, inibi tumulatus fuit, prout videre est; eiusdemque Pontificis imago, prædicta sanctissima Capita venerantis in testimonium sui obsequij, atque deuotionis, vsque ad nouam Innocentij X. Lateranensis Ecclesiæ ædificationem, ibidem proximè existebat, veluti Rasponus refert; Icon huiusmodi ad præsens in choro hyemali Cleri Lateranensis extat, nempè in cornu epistolæ, Scipionis Caietani opus, iuxta Ioannis Baglioni, & Benedicti Millini assertiones.

Rasponus d. lib. 1. cap. 11 f. 50. 6. Quod quidem.
Baglion. in lib. dicto le Noue Chiese fol. 124.
Millin. in sua Roma ms de Reg. Montium f. 46. à tergo.

8 At quia superiùs diximus diuinam prouidentiam in conseruandis, & protegendis Sanctorum Apostolorum Capitibus ab impiorum incursionibus, & iniurijs summopere illuxisse, & euentibus relatis experimento probauimus, quod, *Custodit Dominus omnia ossa eorum*. Nunc aggredimur ad Sanctissimum Virum, qui non animo rapaci, sed humili corde, quadam diuota curiositate cupiebat aspicere, absque velamine interposito

Psal. 33. v. 21

posito

Psal.47. v.9. posito illa pignora pretiosa, vt posset cum Psalmista dicere: *Sicut audiuimus, sic vidimus*: Legitur ergo in selectis Historicis præstantissimi D. Iacobi Brancharij Romani, Canonici Lateranensis Decani, Pœnitentiarij, atque Auunculi mei: quod cum Nicolaus V. qui Anno Christi 1447 Summus Pontifex fuit electus, nimio exardesceret amore erga Sanctos Apostolos, concupisceretque illorum aspectus facie ad faciem contemplari, & cum Beato Iob enarrare, *Oculus videns testimonium reddebat mihi*; accersito Aurario, iussit se præsente argenteas thecas aperiri, sed vix aurifex accessit ad opus, vt repente super se timorem aduenire sentiret, adeo vt, nedùm videretur paralysi debilitatus, sed putaretur breui interuallo dies vitæ claudere. Quapropter, vt verbis vtar Psalmistæ, *Conturbati sunt omnes, qui videbant eum, & timuit omnis homo*. Hoc igitur euidenti miraculo commotus Pontifex, & qui cum eo erant, venia petita, & fusis precibus pro Aurarij salute, deper-

Branchariꝰ in Select. Histor. ms. c. 30. num. 59.

Iob. cap. 29. vers. 11.

Psal. 63. v. 9.

perditam virtutem, & vires priſtinas paulatim recuperans, perfectè conualuit, & omnes induti confuſione, & reuerentia abierunt, nemòque ampliùs vſque modò auſus fuit quidquam attentare, & ſi enim quibuſdam præordinatis à diuina Sapientia diuerſis temporibus; & neceſſitatibus conceſſum fuerat prædictorum Apoſtolorum Capita cum gaudio nudata conſpicere, & antequàm includerentur tangere; alijs tamen non ex neceſſitate, ſed curioſitate, nequaquàm, ſed tantummodò cooperta, & incluſa videre, & venerari. Non enim hæc celeberrima Capita, olim diuinæ Sapientiæ ſedes, minoris ſunt dignitatis, & reuerentiæ, quàm ea, quæ olim in Sanctuario reponebantur, quæ antequàm tangerentur velo conſpicienda præbebantur nonnullis præordinatis; alijs verò curioſis negabantur; *Alij nulla curioſitate videant, quæ ſunt in Sanctuario, piùsquàm inuoluantur, alioquin morientur*. Num. cap. 4. n. 20. His ergo prodigioſis caſibus remanet magis comprobata identitas horum ſancto-

ćto-

ctorum Capitum, dùm diuina virtus tot signis, & portentis deterret illuc aduenientes, de quibus Capitibus Serranus ait: *Sancto quodam ad ea accedentium tremore, quasi fulgura coruscant.*

Serranus de septem Eccl. fol. 63. in fin

9 De Pauli verò Secundi Summi Pontificis veneratione erga Sacrosancta Capita, videndum inferiùs quid de ipso Augustinus Patritius Senensis adnotauit, cum de Friderico Tertio Imperatore verba faciam,

10 Sed hìc Summi Pontificis Clementis Octaui religionem, & cultum erga ipsamet Sanctissima Capita minimè deserere debeo. Iste namque Pontifex eodem anno, quo Pontifex fuit creatus nimirum 1592. decimo octauo Kalendas Iulij ascendendo per palcum magnum, & commodas scalas ad hoc duobus diebus ipsius iussu factas, sericisque pannis ornatas, deuotissimè intra ferreos cancellos Sanctissima Capita inuisit, illaque summa pietate adorauit, quemadmodùm ex libris Decretorum Capituli Lateranensis in Archiuio seruatis habetur

Ex Decretis fol. 95. à terg

betur: Et Paulus Mucantius præfati Pontificis cæremoniarum Magister de hac re ità scripsit. *Rediijt deindè ad Ecclesiam, & per scalam ligneam, & commodam de nouo ad hunc effectum constructam ascendit super ciborium Altaris maioris, vbi conseruantur Capita Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & per paruam porticulam ingressus intra crates ferreas, omnia diligentissimè inspexit, & considerauit, sed in primis Capita prædicta genuflexus veneratus fuit, quæ tunc Populo ostensa fuerunt cum luminibus iuxta solitum, quando quibusdam diebus præscriptis populo ostenduntur. Nonnulla Sanctitas sua ordinauit, quæ sibi necessaria visa fuerunt, pro maiori veneratione tantarum Reliquiarum, & in specie vt crates ferreę, quæ sunt supra ciborium, & circumcirca locum vbi Capita prædicta Apostolorum conseruantur decentiùs ornarentur, & auro cooperirentur*. Hactenus Mucantius.

Mucant. in lib. Diar. in annotat. Papa incipit Visitam ab Eccl. Later. & quibus cæremonijs. Post multa.

11 Vrbanus verò Octauus summus Pontifex Sacrorum Capitum venerationem antè mentis oculos habens anno Christi 1624. vndecimo Kalendas Maij tale decretum sua Apostolica Visitatione-

ne

Ex lib. Sac. Visitat. Apostol. Vrbani VIII. existẽtę penes Emi nentiss. D. D. Cardinalem Papæ Vicarium p. 1. fol. 43.

ne statuit. *Supra ambonem, in quo ostenduntur, nullus laicus, vel qui non sit de gremio ipsius Ecclesię ascendere præsumat sub poena excommunicationis.*

12 Nouissimè autem Alexander Septimus Pontifex Maximus, vix ad supremam dignitatem euectus est, quod suæ religiosæ venerationis signa in ea Sanctissima Capita præclarè ostendit: In primis, enim Conditorij, siue Sacrarij, in quo Sacrosancta Capita extant, descriptionem, atque delineationem voluit, veluti ex sequenti decreto liquet.

In Arch. Later. in Arm. XIII. litt. N. num. 4.

*Cum iussu Sanctissimi Domini nostri describendum sit Sacrarium, seu Conditorium, vbi asseruantur Capita Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli in Basilica Lateranensi, desuperque formandus sit typus, ac specialis delineatio Sanctitati suę afferenda; ne ex controuersia inter Capitulum, & Canonicos eiusdem Basilicæ, ac Nobiles Viros Vrbis Conseruatores, & Guardianos Hospitalis Sanctissimi Saluatoris super eorum præsentia, & assistentia præstanda, quotiescunque aperiendum est diutiùs differatur accessus; mandauit Sanctitas sua, sine præiudi-*

cio

*cio iurium Partium per modum prouisionis, pro hac vice tantùm, & ad effectum prędictum dumtaxat consignari claues omnes antedicti Sacrarij, siue Conditorij ab eisdem, penes quos asseruantur D. Virgilio Spadæ, qui vnà cum Architecto, aliisque sibi benè visis operarijs, & in arte peritis, ad id etiam vocato D. Benedicto Millino, vno ex Cooperatoribus Visitationis præfatæ, ambonem ascendat, cancellos aperiat, perlustret, & alia, quæ in præmissis facienda fuerint, faciat, & exequatur: Contrarijs quibuscunque non obstantibus. In quorum fidem &c. Romę 5. Aprilis 1656.*

*Hieronymus Archiepiscopus Patracensis Secretarius.*

Deindè in horum Sanctorum Capitum venerationem, atque honorem mentis aciem intendens, aliàs ita sanciuit.

*Vt Sacratissimæ Reliquiæ Capitum Apostolorum Petri, & Pauli quę super ambone altaris maioris Basilicę Lateranensis sunt conditæ, accuratè, ac decenter custodiantur: Sanctissimus Dominus noster de consilio Eminentissimorum Cardinalium, & DD. Pręlatorum Sacræ Visitationis Apostolicæ, mandauit deputari à Capi-*

*tulo ſingulis annis duos Canonicos, qui in capſula ad id deſtinata, duabuſq; ſeris clauſa in Sacriſtia retineant vnā ex clauibus Conditorij dictarum Reliquiarum, quæ apud Capitulum aſſeruatur, diligenterque inuigilent cuſtodiæ, ac nitori præfatarum reliquiarum, & ad id fideliter præſtando iuramento ſe adſtringant, ac ſaltem quater in anno, nempè, qualibet Dominica præcedente hebdomadam quatuor temporum, perluſtrent capſam, thecas, gemmas, & ſeras, ac ſi quid repoliendum, aut aptandum erit, repoliri, & aptari faciant, Præſentibus vno ex Conſeruatoribus Vrbis, & vno ex Guardianis Cappellę ad Sancta Sanctorum, alijſque, penes quos reliquæ claues aſſeruantur, qui omnes quotieſcunque ingredi contigerit præfatum Conditorium ſemper aſſiſtant, excepto tamen actu Viſitationis Apoſtolicę. Romę die Mercurio VII. Iunij 1656. Hieronymus Archiepiſcopus Patracenſis Secretarius.*

Huiuſmodi Sanctio lapidi inciſa legitur in Capitolino Palatio DD. Conſeruatorum, eamdemq; in ſuo Theatro Romæ Sacro affert eruditione, ac Theologiā præſtantiſſimus D. Ioannes Antonius Bru-

Brutius in Theatro Romæ ſacro.

Brutius Vrbani Cleri alter ex Examinatoribus quod iuſſu s.m. Alexandri VII. peregit, eleganti ſtylo elaboratum in quatuor tomos, qui typis modò mandantur Viennæ.

Tandem eodem anno, quarto Kalendas Octobris prænarratum venerationis, & deuotionis exemplum ſupradicti Clementis Octaui vſurpauit, ipſum enim imitatus per ſcalam hac de cauſa præparatam ferreos cancellos ingreſſus, primò maximà cum religione ſacratiſſima Capita veneratus eſt, ac deindè cuncta perluſtrauit, ſedulaque diligentia inuiſit, cui inſeruiuit, & præſto ſemper fuit Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Franciſcus Maria Antaldus Canonicus Lateranenſis, tunc temporis in cauſis Confidentiarum Domini Papæ Generalis Auditor, atque in præſenti Auditor Eminentiſſimi Cardinalis Camerarij, inque Pontificia Cappella Aſſiſtens, & Sanctiſſimi Prælatus domeſticus, Præſul equidem animi candore, morum integritate, necnon pietate conſpicuus, & ipſe dumta-

xat in illo actu præfato cum Sanctiſſimo Pontifice in Capitum conditorium introiuit, Qui Pontifex multa ad loci ornatum, & glorioſorum Capitum venerationem, veluti ſuperiùs primo in Capite eſt adnotatum, fieri iuſſit.

13 In Clemente IX. Pontifice Sanctiſſimo Clementiam comitem Pietatem habuiſſe, facilè dicerem; eius enim Religio in venerandis ſacroſanctis rebus quanta fuerit, perſpicientibus affulſit: idcircò de Beatorum Apoſtolorum veneratione Capitum ſilentio, quàm lingua exponere plùs valere autumo. Animus ad Dei, & Sanctorum cultum ingenitus ei fuit, qui adeò æſtu charitatis exarſit.

14 De Sanctiſſimo demùm D. N. CLEMENTE DECIMO. Pontifice Maximo, æquè curæ in exornandis, atquè debiti cultus in cohoneſtandis, venerandiſquè Sanctorum Petri, & Pauli Apoſtolorum Capitibus contemplatio iudicanda eſt; neque enim ſupereſt Pontificiæ eius Clementiæ adorationem illis exolui, vt non tantum ipſe ſumma, ma-

ximò-

ximèque diuturna regnet felicitate, sed tota etiam Christiana Respublica optatissima iucunditate repleatur.

15 Pontifices autem, qui suis in epistolis, & diplomatibus erga sacra Capita eorumdem venerationem testatam esse voluere, quia fuerunt quamplurimi; ne longum sermonem faciam, eorum tantummodò aliquos recensebo, ipsorumque ad rem istam pertinentia verba formalia referam; Qui Pontifices sunt sequentes.

Honorius III. in epistola, quæ incipit *Aduersus hostes visibiles*. Cuius verba supra retulimus in prædicto priori Capite.

Clemens IV. integram epistolam, & hanc in prænarrato Capite per extensum adduximus.

Vrbanus V. peculiarem Bullam, quæ ibidem legitur; atque in altera in proximè consequenti Capite adducenda Sanctissima Capita commemorat.

Gregorius XI. similiter præcipuam Bullam edidit, quam Lector in præfato sequenti Capite legere poterit.

Bonifacius IX. in ipsius Bulla, cuius verba supra in prædicto primo Capite adducta sunt; eademque verba in altera Bulla replicat, sub Dat. sexto Kalend. Decembris eodem anno primo, nec non in alia, cui initium est. *Quamquàm vniuersis Orbis Ecclesijs*; ac terminat. *Datum Romæ apud S. Petrum quinto Nonas Martij, Pontif. nostri anno sexto*; sic loquitur: *Quamquàm, &c. Sacrosanctę tamen Lateranensi Ecclesiæ, vtpotè quę sui priore dedicatione, ac plurium Romanorum Pontificum Prędecessorum nostrorum decretis, Caput est, & Orbis, & Vrbis, & in qua inclytorum illorum Christianę Religionis Principum Petri, & Pauli Apostolorum Capita venerabiliter conseruantur, strictiori, &c.*

Eius exemplar extat in Arch. Later. in Arm. XIV lit. C. num. 9

Hæc sub plũbo ibid. asseruatur in Ar. eod. litt. A. n. 78.

Eugenius IV. in Bulla, quæ incipit: *Dum teneamur*: & finit. *Datum Romæ apud S. Petrum anno Incar. Dominicæ 1446. decimo octauo Kal. Ianuarij, Pontif. nostri anno 16.* inquit: *Ac cum Sacrosancta Romana Ecclesia, & nostra Vrbs sancta inenarrabilibus Sanctorum Dei Reliquijs decoretur, ad pretiosissimas tamen in Lateranensi præfata Basilica venerabiliter reconditas, velut ad præcipuum Christi Sa-*

Ex præfato Arch. in prædicto Arm. & sub eadem Lit. n. 87.

*Sacrarium, vbi inter cæteras Beatorum Apostolorum sacrata Capita requiescunt propensiorem curam conuenit indulgere, vt nostra prouidentia attentiùs, & venerabiliùs conseruentur, &c.* & in alia incipiente: *Cum ad sacratissimam, & venerandam Lateranensem Basilicam*; ac terminante. *Datum Romæ apud S. Petrum an. Incar. Dominic. 1446. xviij. Kal. Ianuar, Pont. nostri anno sextodecimo.* Sic ait: *In eo sacratissimo Orbis loco Apostolorum Capita nunc cum Christo regnantium venerabiliter requiescunt, &c.* Sed cum vellet iste Pontifex sæculares Canonicos, Beneficiatos, & clericos à Lateranensi Ecclesia amouere, vt Regulares substitueret; *Interim Canonici sæculares Laterani commorantes, hoc audito* (prout Gabriel Pennottus inquit) *cum amicis Populum contra Pontificem erigere nituntur, asserentes, illum Romanos ab Ecclesia velle eijcere, vt forenses introducat ad asportandum Capita Sanctorum Apostolorum.* Quare Eugenius illis reliquit Sacrarum Reliquiarum custodiam quoad vixerint, vnà cum eorum Canonicatuum, & Beneficiorum redditibus, illisque cedenti-

Ibidem sign. ✠ num 10.

Pennott. in Histor. tripartit. Later. lib. 3. cap. 21 f. 644. col. 2. post med.

 bus,

bus, vel decedentibus, ipſa cuſtodia ad decem Clericos Romanos Ciues pertineret, ab eo dumtaxat, aut Succeſſoribus eius deputandos, quibus nomen Protectorum Reliquiarum indixit, eiſque certum ſtipendium Cameræ Apoſtolicæ ſumptibus aſſignauit, veluti ex ipſius Bulla, cuius principium: *Quamquàm ex debito*, & finis: *Datum Romæ apud S. Petrum anno Incar. Dominic. 1444. Kal. Maij Pontificatus noſtri anno xjv.* Et ex altera, quæ incipit. *Ad ſacram Petri Sedem*, ac terminat. *Datum Romæ apud S. Petrum an. Incar. Dom. 1445. quarto Id. Ian. Pont. noſtri an. quintodecimo.* Et denique alia, cuius initium exiſtit. *Dum teneamur*, atque terminante. *Datum Rom. apud S. Pet. an. Incar. Dom. 1446. xviij. Kal. Ian. Pont. noſtri anno ſextodecimo.* Dedit prædictis ſæcularibus modum, quem in Reliquiarum cuſtodia, ac oſtenſione tenere debent, tàm de illis, quæ ſupra Altare maius conſiſtunt, nimirùm Sacroſanctis Capitibus Apoſtolorum, quàm de alijs, quæ ſupra alterum propinquum altare extabant.

In prædicto Arch. Later. Arm. XV. lit. M. N. n. 15. ſub plumbo.

Ibid. lit. Z. num. 3.

Extat in Archiuio ſupra dicto in præſignato Arm. XIV. lit. A. num. 87.

Si-

Sixus IV in Bulla cuius fastigium est: *Quamuis de cunctis*, & clausula. *Dat. Rom. apud S, Petr. an. Dom. Incar.* 1475. *iv. Kal. Iulij Pont. nostri an. iv.* dicit vt sequitur: *Lateranensi Ecclesiæ sponsæ nostræ tanto, &c. & eam omnium aliarum Ecclesiarum speculum, atque Caput, & Principatum S. R. & vniuersalis Ecclesię obtinere, & ipsam præ cęteris pręcipuè dignitate prędìtam, ac quam plurimis sanctissimis Reliquijs, & præsertim gloriosorum Capitum Apostolorum Petri, & Pauli decoratam, &c.* & alia cuius principium est. *Quamquàm vniuersis*, & finis. *Dat. Romę apud S. Petrum anno Incar. Dominicę* 1483. *xvij. Kal. Iulij Pont. nostri anno xij.* ita ait: *In qua Saluatoris nostri, Genitricis Virginis Marię, aliorumque Sanctorum, & Sanctarum Dei Reliquiæ, & meritorum illorum Christianę Religionis Principum Petri, & Pauli Apostolorum Capita venerabiliter conseruantur, &c.*

Transumptũ ipsius in præ dicto Arch. reperitur in supracit. Ar. XIV. lit. C. n. 98. estque registrata in Camer. Apostol. in lib. 18 bullar. eiusdẽ Cameræ.

Ex ms. Arch. Later. de præceden. Later. Eccl. pag. 23. à tergo.

16 Cæterum omnes Summi Pontifices nouiter electi, quando ad sui Papatus possessionem capessendam, de more Lateranensem Ecclesiam, eorumdem Episcopatum adeunt, adorato priùs in

ea

ea admirabili,& Sacrosancto Eucharistię Sacramento, statim Sacratissima Apostolorum Capita deuotè venerantur posteaque memoratam possessionem accipiunt; nec vnquam eamdem ingrediuntur, præsertim occasione visitationis septem Ecclesiarum, quin ipsamet Sanctissima Capita venerentur.

17 Maximam etiam venerationem istis Sacrosanctis Capitibus exhibuere semper Imperatores, Reges, atque Reginæ, inter quos minimè negligendus Sigismundus; ipse enim Imperator anno à Christo nato 1433. pridie Kal. Iunij, quo die festum Pentecostés erat, post receptam in S. Petri Basilica coronam, Sacrosanctam Lateranensem Ecclesiam petijt, veluti Infessura refert, ibique sacris Capitibus debita venerationis obsequia persoluit, cui ea Matthias de Soresinis ostendit, ibidem tunc temporis Beneficiatus Sanctorum Capitum Custos, ac deindè S. Mariæ Maioris de Vrbe Canonicus effectus. Similiter Fridericus Tertius Imperator ad Vrbem voti

Infessura in Diar.

Ex lib. mas. min. Arch. Later. signat. litt. E. f.43. à tergo.

Paul. de Ang. in descript. S Mariæ Maioris l.3. c.7. fol. 43. col.2. litt. A.

voti causa reuersus an. 1469. sicuti Ciaconius affert, Kal. Ian. ingenti pompa, vnà cum Paulo II. Pontifice, subtus conopæo ad Lateranensem venerandam Ecclesiam venit, atque ad hoc vt Apostolorum SS. Capita viserent per scalam hac de causa præparatam ambo se contulere, & ferreos cancellos sunt ingressi, quemadmorum Victorellus refert, & Eminentissimus Rasponus; hæc autem res gesta in Chronicis m s. incerti Authoris, & à Stephano Infessura ita exponitur. *Dell'anno Domini 1468. adi 28. di Decembre di Sabbato venne l'Imperatore Federico Terzo à Roma, & entrò per porta del Popolo, e gì per Santo Marco, e per via dello Papa à S. Pietro, e folli fatto molto honore da Romani, e gì sotto pallio accampagnato da Romani, e Cardinali, e venne per fiume da Otricoli per fino alla Vallera, & similiter lo Papa li fece grande honore, e dopo lo dì de Santo Siluestro, e lo Papa, & lo Imperatore andaro à Santo Ioanne Laterano, e la sera saliero lo Papa, & lo Imperatore alle Teste delli Apostoli per vno tauolato, che fecero lì, & entraro per entro alli can-*

Ciacon. to 2. in Paulo II. col. 1236. liter. A.

Victorellus in addit. ad Ciacon. col. 1248. lit. D. Raspon. lib. 2 c. 13. fol. 194. in princ.

Ex Chron. incert Auth. in Arch. Secr. Vatican. existen. & ex Diar. Infess. ibid.

*ancelli, & lo Imperatore quando fù entrato subito si getto à terra, e batteose lo petto, e con grande diuotione disse tre orationi, & lo Papa li mostrò tutte quelle gioie, e pietre pretiose, & assimilò Papa Paolo vn suo smiraldo, che teneua in dito con vno di S. Pietro, che teneua nella sua mitra in fronte, ch'era più bello.* Augustinus Patritius verò sic adnotauit. *Pridie verò Kalendas Ianuarij cum Summus Pontifex Lateranum accessisset noctu Circumcisionis Dominica proximè Vespere ibi celebratæ sunt, quibus finitis ascendit Pontifex locum, vbi Apostolorum Petri, & Pauli Capita in pretiosissimis statuis reseruantur, eaque summa deuotione, & vidit, & veneratus est: intrauit interim Basilicam Imperator, quem diù Pontifex expectauerat, ascenditque etiam ipse ad locum vbi simul cùm Pontifice venerabiles Reliquias adorauit, & diuitem ornatum admiratus est: descendens deinde in Ecclesiam Pontifex palatium superiùs ascendit ibi pernoctaturus, & Cæsar nonnullis Cardinalibus comitantibus ad S. Petri palatium redijt: sequenti verò die cum solemnitas Circumcisionis celebranda esset, Imperator oriente sole Lateranum petijt, &c. ac-*

Patritius in descript. ms. aduent. Friderici III. Imperat. ad Paulum PP. II. asseruata in Biblioth. Vallicellana Vrbis signo lit. F. n. 73. fol. 17.

Idem fo. 18. à tergo.

*ces-*

*cessere post hæc ad ædis sacræ medium, vbi faldistorijs incumbentes Pontifex, & Cæsar genibus flexis, nudatisque Capitibus Apostolorum Principum primò, deindè aliorum Sanctorum complures Reliquias, & aspexere deuotè, & piè venerati sunt.* Carolus V. Imperator, & ipse anno 1536. mense Aprilis veneranda ApostolorumCapita supplex adorauit, quemadmodum eius filia an. 1533. deuotissimè fecerat.

Ex Monumentis ms. Arch. Later. & ex libro introit. & exit. Lateran. Eccles. sign. litt. E. f.92. à tergo.

18 Sed Regum, & Reginarum, qui religionem suam in Sacrata Capita demonstrauere, delabi hìc in sermonem opus vtique esset; at nè prolixam suscipiam orationé, remq; paucis complectar, haud ambigendum esse arbitror, quin debita puræ deuotionis obsequia eorumdem Sanctorum Apostolorum adorandis Capitibus cuncti ferè Reges, atque Reginæ, præsertim pietatis ergo ad Vrbem pergentes, impendissent; & dumtaxat Carolum Quintum Francorum Regem, Ioannam Galliæ, & Nauarræ Reginam, atque aliam Ioannam Reginam Siciliæ rememorabo, præclaram quorum deuotio-

tionem, præstabilemque cultum, pretiosæ oblationes ipsis inclytisCapitibus collatæ (de quibus in præcedenti Capite verba fecimus) & clarè ostendunt, ac sine dubio fatentur; vtpotè nostris istis temporibus de Christina Gustaui Adulphi filia, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regina liquet; eius enim obsequium aduersus Sacrosancta Capita, inter alia, quorum spectaculo Romanum Populum affecit, pietatis, & religionis, quam induerat magnitudinem ad nostram fidem conuersa, anno nimirùm 1655. egregie testatur.

19 Inter cæteras autem personas illustres, quæ Sanctissima Capita religioso cultu veneratæ fuerunt, meritò hìc ponimus Abbatem S. Antonij in Ægypto apud Imperatorem Æthiopiæ, vulgò Presbyterum Ioannem nuncupatum, Virum insignem; nam iste anno Domini 1441. 6. Idus Octobris, duodecim fermè Monachis comitatus venit ad Vrbem, obuiamque illi ad portam Ciuitatis factis Gubernatore &c. eique postea ostensa sacro-

Victorell. in add. ad Ciac. col. 1143. l. A.

crosancta Apostolorum Capita piè veneratus est: sicuti etiam retroactis, ac temporibus successiuis innumerabiles id fecere Proceres, quos referre si vellem, præ multitudine nimia quippè deficeret calamus, vberrimusque esset mihi sermo, at ne silentio rem istam omninò transigam, nonnullos solummodò adducam, & primò Duces, & Principes, ideſt, Bauariæ Anno 1593. Ferrariæ Anno 1575. Florentiæ Anno 1560. 1563. & 1628. Lorenæ Anno 1620. & 1635. Mantuæ Anno 1608. & 1618. Niuersij Anno 1609. Sabaudiæ Anno 1620. Scotiæ Anno 1636. Ducissas videlicet Florentiæ Anno 1560. & 1563. Placentiæ Anno 1556. & 1545. Oratores scilicet Iaponensem Anno 1614. Moscos Anno 1581. & 1584. Perseos Anno 1600. 1609. & 1622. Polonum An. 1633. Filium Regis Marochiorum An. 1600. Nepotes Regis Francorum An. 1633 Germanum Regis Poloniæ Anno 1634. Fratrem Ducis Bauariæ Anno 1666. & reliquos omnes præclaros homines, qui occasione recurren-

Ex libris in Arch. Later. existent. nun cupat. della massa minuta prædictor. ann.

rentium annorum Iubilæi Romam venerunt, quos verisimiliter, imò sine vlla hæsitatione fatendum est Capita præfata adorauisse: cum ea Lateranensis Ecclesia, in qua asseruantur, sit cæterarum Basilicarum Mater, & Caput, ideoque necessariò perlustranda, quos Viros illustres, Lector curiosus faciliter apud Scriptores rerum gestarum, annorum prædictorum, si vellet, poterit inuenire.

20 Cardinalium pariter venerationem haud aggredior, propter easdem rationes, quare vt breuitate vtar, hoc tantùm dicam, quod scilicet vsque à temporibus Eugenij Quarti, & vltra, quando eorumdem Sanctorum Capitum argentea simulacra repolire opus erat, seu expurgare, id ipsimet peragebant, dumque aliquid aptare contigerit, religiosè præsto erant; nec non deuotissime Cælestini Tertij æuo processionaliter deferebant, veluti supra dictum fuit, sed isto in loco, minime Ascanij Cardinalis Columnæ Archipresbyteri Lateranensis æternæ memoriæ Principis, venera-

Ex supra cit. lib. introit. & exit. Later. Eccl. in eius Arch. sig. lit. E. f. 3. ad fin.

ra.

rationem, munificentiam, pietatem debeo præterire ſilentio; Ipſe namque ſuo teſtamento ſcuta quinquaginta annua in perpetuum Lateranenſi Capitulo reliquit, pro duodecim lampadibus ad Pontificiam Aram Sanctorum Apoſtolorum alendis, totidem antea argenteis lampadibus donatis, ponderis librarum 36. vnc.7. prout ex Inuentarijs Sacriſtiæ Lateranenſis, anno ſcilicet 1588. viij. Idus Nouembris; idque religionis exemplum quondam Hieronymus Toccalcielus noſter Beneficiatus Lateranenſis ſequutus eſt; Is etenim pro diebus ferialibus alteras duodecim lampades ex aurichalco ſuis expenſis fecit, eſtque elargitus, neque hic omnimodè conticeſcere volo Dominici Laurentij in eadem Eccleſia Canonici venerationem erga Sacrata Capita, nam ſupradictis Cardinalis Columnæ lampadibus aliam anno 1635. adiunxit, ponderis librarum 16. vnc. 3. & locum montis S. Bonauenturæ ſecundæ erectionis, alendę cauſa prædicto Capitulo aſſignauit; quare in Archiuij La-

Inuentaria Sacriſt Later in eodē Arch. aſſeruata.
Ex lib Decr. Capit. Later. ab. an. 1582. vſque 1588. fol. 413.

Ex prædict. Inuentarijs.

Ext. Pat. in Arch. Later. in Arm. XV. lit. V.

Calderonus in Inuenta'. Arch. Later. tom. 2. f. 1.

teranensis inuentario composito à Philippo Calderono Hispano, Beneficiato, ac deinde Canonico Lateranensi emeritissimo, legitur; *Illustrissimus, & Reuerendissimus D. Dominicus Laurentius Canonicus, & Reuerendissimi Capituli per Eminentissimum, & Reuerendissimum D. Hieronymum Columnam S. R. E. Cardinalem, & Archipresbyterum Lateranensem Vicarius, Iudex deputatus, & Caput, ante Capita Principum Apostolorum, qui sunt sæculorum Iudices, & vera mundi lumina, lampadem argenteam, vt continuò illuminet dotatam, ad similitudinem sui in eorumdem Capita ardentis cordis affectum donauit.*

21 Tandem de religiosa veneratione Sanctorum aduersus Sacrosancta Capita, idem quoque dicendum, quod superius de Viris illustribus dictum fuit; Cunctos namque Sanctos, & Sanctas, qui Romanã Ciuitatem petiere & Sanctissimam, venerabilemq; Ecclesiam Lateranensem singulari cultu prosequuti fuere, Capitibus etiam Diuorum Apostolorum debitæ venerationis, honorisque stipendium impendisse censendum; & quia

quia ipsos recensere impossibile arbitror, ne in multis morer, de vno dumtaxat loquar, nimirùm Sancto Philippo Nerio, de quo exponitur, quod cum semel Lateranensem Ecclesiam ingrederetur tempore, quo Sacratissima Capita populo demonstrabantur, mulierem à dæmone obsessam momento liberauit, quod in eius gestis legitur, & Seueranus, atque Eminentissimus Rasponus deferunt.

Petrus Iacobus Baccius in Vita Sancti Philippi l.3.c.10.n.5. fol 304 sextæ impress. Seueran. de sept. Eccles. par.1.f.614. §. Vn' altra volta. Raspon lib.2 cap.13 f.202 ad fin.

22 De vniuersali autem Christifidelium omnium eadem veneratione, & cultu, sufficiat dicere quod in temporum indigentijs ad Sanctissima Capita confugere solent, auxiliumq deprecari; Quamobrem inter cætera apud Stephanum Infessuram legitur, prout sequitur; *Adi 2. del detto mese di Nouembre 1438. Rienzo Colonna tolse Zagarolo, e la Rocca, e gionse à Campo Ranaldo Orsino, & messese in Gallicano, & lo Patriarca se ne era gito à Corneto, & come seppe la nouella, se ne tornao à Roma, è sempre piobbe quel di, e per la tanta pioggia crebbe il fiume, e gì per tutta l'orte, e per molti altri*

Infessura in Diarijs.

 *lochi*

*lochi , & accampo à Zagarolo , & gì à campo lo di de Carneuale, che fù alli 17. di Febraro , e furo fatte le processioni , & fù mostrato lo Volto Sancto, & le Teste de Sancto Pietro , e Sancto Paolo per questa occasione .* Et anno 1537. septimo Kalendas Iulij post celebratam in Sacrosancta Lateranensi Ecclesia Missam pro diuino auxilio implorando , præsente summo Pontifice Paulo Tertio, ostensa fuerunt gloriosissima Capita Sanctorum Apostolorum Papæ, & Populo, sicuti Blasius Baronius Cæsenas suis in Diarijs defert.

Blasius Baronius de Cæsena ms. in vol. 2. asser. in Biblioth. Emin Card. Pij, fol. 193.

23 Sed quanta in veneratione habeantur Diuorum Apostolorum Principes, eorumque Sacratissima Capita, etiam apud finitimas Orbis partes, mundique remotissimos Christianos, percipiat Lector ex eo, quod Ludouicus Barthomaus Bononiensis in suo Itinerario iussu Leonis X. in lucem edito prænarrat: Author iste commemorat, qualiter cum se haberet in quadam Vrbe nomine Bengalla, comitem se adiunxit quibusdam negotiatoribus Christianis ex Ciuitate Sarnau

Barthomaus in lib. nuncupat. Itinerario de Ludouico de Varthema Bolognese nello Egipto, nella Suria, &c. l. 3. c. 13. f. 85. & c. 25. fol. 96.

nau ſub ditione Magni Canis Vrbis Cathai, & quod ij Trinum Deum eſſe adiuratiſſimè fatebantur, Baptiſmi Sacramento more noſtro initiati erant, duodecim Apoſtolis, quatuorque Euangeliſtis fidē adhibendam fore, firmiter aſtruebant, noſtrique Seruatoris ortum, & occaſum, diuerſorumque Sanctorum feſtiuitates celebrabant, necnon Quadrageſimalis ieiunij obſeruantes erant, aliarumque vigiliarum, & vela ventis dantes verſus Inſulam; Giaua, appellatam, nunquam à noſtræ Religionis rerum colloquijs deſiſtebant, de quibus voluptate mirifica pluribus agebant, & quando ab illo audiuerunt de Saluatoris vultu, qui in Vaticana Baſilica aſſeruatur, deque Capitibus Sanctorum Petri, & Pauli, & compluſculis alijs Sanctis, clanculum monuerunt eumdem, vt ſi vellet ſecum proficiſci, futurum eſt, vt magnus euaderet Dominus ex eo quia talia viderat: Verba prædicti ad rem noſtram pertinentia dumtaxat adducam, quæ talia ſunt. *Andando, continuamente li dicti Chri-* Idem dict. cap. 25. f. 96.

 *ſtiani*

*stiani notte, e giorno non haueno altro piacere: se non de parlare con meco delle cose de Christiani, e della fede nostra. Et quando Io li dissi del volto Santto, che stà in San Piero, & delle Teste de San Piero, & de San Paulo: e de molti altri Santti: me disSero loro secretamente: che se io voleuo andare con essi: che saria grandissimo Signore per hauer visto queste cose. Io dubitaua, che poi che me haueSSero condotto là; mai più haueria posSuto tornare ala patria mia, & per questo restai de andare.* Hactenus de Veneratione.

DE-

# De Indulgentijs præfatorum Capitum.

## C A P. I I I. & vlt.

1 SANCTISSIMVS Pontifex Vrbanus Quintus verè pœnitentibus, atq; confessis, qui deuotè Sacrosanctam Lateranensem Ecclesiam visitauerint in crastino Resurrectionis Dominicæ (scilicet feria tertia Paschatis) quo prædicta sanctissima Capita solemniter ad supradictam Lateranensem Ecclesiam translata fuere, quinque annos de iniunctis pœnitentijs annuatim relaxauit, prout ex Bulla inferiùs hic adducenda, & quia illa verba, in crastino Resurrectionis Dominicæ, videntur aliquantulum obscura, ideò proculdubio prænarratam feriam tertiam significare dicitur, prout ex sequentibus liquet.

Primò, quia eo anno, quo dicta tran-

slatio peracta fuit, nimirum 1370. festum Paschatis euenit xviij. Kalendas Aprilis, translatio verò facta est xvj. Kalend. Maij, veluti ex adductis authenticis instrumentis; quodque xvj. Kalen. Maij fuisset dies Martis, etiam patet, vltra prædicta instrumenta, ex Data originalium Constitutionum ipsius Lateranensis Ecclesiæ, quæ Data existit sub die Lunæ Kalendis Iulij: Quare si Kalendis Iulij illo anno erat dies Lunæ, absque dubitatione retrogrediendo tempora, & computando dies, xvj. Kalendas Maij erit dies Martis.

Secundò, exemplum legitur, quod tale est. Dies festus S. Laurentij celebratur jv. Idus Augusti, atque dies festus S. Claræ recolitur pridie Idus ipsius; & nihilominùs in Breuiario Fratrum Minorum sic dicitur: *In crastino igitur B. Laurentij egreditur illa anima sanctissima præmio perpetuo laureanda: temploque carnis soluto, spiritus feliciter migrauit ad astra anno videlicet ab incarnatione Christi 1253. xij. die Augusti.* Et ideò dicta die Martis Resur-

Breuiar. Minor. in festo translat. S. Claræ 6. Nonas Octobr. Lect. V.

re-

rectionis sacratissima Capita populo ostendere in præfatæ eorumdem traslationis memoriam mos inualuit. His ergo explicatis, concessionis diploma prædicti Summi Pontificis adducere operæ pretium erit, quod sub plumbo ex Archiuio Lateranensi habetur, & sequens est, videlicet. In Arch. Lat. in Arm. XIV. lit. A, B, n. 69

*Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei, Vniuersis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem. Splendor paternæ gloriæ, qui sua mundum illuminat ineffabili charitate, pia vota fidelium de clementissima ipsius maiestate sperantium tunc præcipuè benigno fauore prosequitur, cum deuota ipsorum humilitas Sanctorum meritis, & precibus adiuuatur. Cupientes igitur, vt Lateranensis Ecclesia, in qua gloriosorum Apostolorum Petri, & Pauli Capita venerabiliter collocata sunt, congruis honoribus frequentetur, & vt Christifideles eo libentiùs causa deuotionis confluant ad eamdem, quo ibidem dono cælestis gratiæ vberius conspexerint se refectos. Nos de omnipotentis Dei misericordia, & dictorum Apostolorum authoritate confisi, omnibus verè*

*pœ-*

*pœnitentibus, & confessis, qui dictam Ecclesiam in cœna Domini nostri Iesu Christi, ac consecrationis Basilicæ ipsius Domini Saluatoris, & in crastino Resurrectionis Dominicæ, quo dicta sanctissima Capita solemniter translata fuerunt, & festiuitatis prædictorum Apostolorum diebus deuotè visitauerint, annuatim singulis videlicet dierum ipsorum, quibus Ecclesiam ipsam visitauerint, vt præfertur, quinque annos de iniunctis eis pœnitentijs misericorditer relaxamus. Datum apud Montem Flasconem Idus Iunij, Pontificatus nostri anno 8.*

*Nic.*

*Gratis de mandato D.N. Papæ* *Valascus*

loco ✠ plumbi.

2 Gregorius verò XI anno à parta salute 1371. eamdem indulgentiam in perpetuum præsentibus in ostensione præfatorum Capitum impartitus est, quam demonstrationi sanctissimi Sudarij in Vaticana Basilica instantes adipiscuntur; etiam, & hæc Bulla sub plumbo, prædicto in Archiuio custoditur, & est.

In supradict. Arm. XIV. lit. A n.73.

*Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei ad*

*ad perpetuam rei memoriam. Prærogatiua, specialis fauoris, & gratiæ Ecclesiam Lateranensem, quæ super omnes alias Vrbis, & Orbis Ecclesias supremum locum obtinere noscitur prosequi delectantes, ac cupientes, vt Ecclesia ipsa, in qua Apostolorum Petri, & Pauli Capita venerabiliter requiescunt congruis honoribus frequentetur, & vt Christifideles eo libentiùs causa deuotionis confluant ad eamdem, quo ibidem vberiùs dono cælestis gratię conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia, & dictorũ Apostol. Petri, & Pauli authoritate confisi, authoritate Apostolica, tenore prę sentium concedimus, vt omnes verè pœnitentes, & confessi, qui dum huiusmodi Capita populo ostenduntur præsentes erunt, tantam suorum peccaminum veniam, consequantur, quantam consequuntur verè pœnitentes, & confessi, qui in ostensione Veronicæ sunt præsentes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Auenion. v i j. Idus Maij Ponti-*

*fi-*

Monum. ms. Arch. Later. existent. in Ar. XV. lit. X. Y. num. 10 fol. 3. *ficatus Nostri Anno primo.*

*G. de mandato Domini Nostri Papæ Transmontan.*

loco † plumbi.

Magna Tabula Later. col. 1. in prin. Liber æuo Alex. VI. in Bibliot. Angel. Vrbis. Mirabil. vrb. in ead. Bibl. Petrus Ful. in lib. nuncup Compendio del celeste, e diuino Tesoro c 16. fol. 208. Cherubin. in opusc. de mirabil. vrb Ital. fol. 8. Caraccia in opere intit. Instrutt. per dire il SS. Rosario edit Floren. par. 2 c. 10. & seq. Casarrubios in Compend. Fratr. Min. edito Venet. 9. Indulg. f. 121. à tergo. Fuluius ib. c. 15. f. 168. Roder. t. 2. quæst. Regul. edit. Lugdu. qu. 91. art. 1. fol. 272. col. 1 Car. loc. cit.

Atque has præfati Gregorij indulgentias ab alijs summis Pontificibus approbatas fuisse, & confirmatas, Monumenta Lateranensis Archiuij ms. necnon magna Tabula itidem Lateranensis affirmant, Quęnam verò Veronicæ indulgentiæ sint, tripartitas Authores distinguunt sic: Romæ incolis 3000. annorum circumuicinis 6000. longinquis 1200. ac totidem quadragenarum. Ita liber tempore Alexandri VI. Papæ editus; mirabilia Vrbis Iulio II. sedente impressa, Petrus Fuluius, Ioannes Baptista Cherubinus, Archangelus Caraccia, & alij; seu in Vrbe degentibus 7000. citra montes 9000. Vltramontanis 14000. & toties quadragenarum, vtpotè Alphonsus Casarrubios, idem Fuluius, Emanuel, Rodericus, & præfatus Caraccia scripere; sed illas Vrbanus Octauus Pontifex omni æuo memorandus adauxit, plenariam

riam enim largitus est indulgentiam in ipsius demonstratione præsentibus, prout ex Breue, cuius initium. *Ex omnibus sacris reliquijs*, & finis. *Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 9. Aprilis 1629. Pont. anno 6.* Ex Archiuio Basilic. Vaticanæ.

3 Dies autem, quibus annuatim inclyta Capita ostenduntur, & consequenter conceduntur indulgentiæ, sunt sequentes videlicet. In die festo Sancti Hilarij, qui celebratur decimo nono Kalendas Februarij manè, Feria tertia maioris hebdomadæ, Feria Quinta in Cœna Domini, Sabbato Sancto, Feria secunda, & tertia Paschatis, die trãslationis nempe xvj. Kalendas Maij, Feria tertia Rogationum manè generali processioni, Dominica infra Octauam Corporis Christi, in festo Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ, in festo eorumdem Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, in die Dedicationis ipsius Lateranensis Ecclesiæ nimirum 5. Idus Nouembris, in festo S. Ioannis Apostoli, & Euangelistæ, & in die, quo Romani Pontifices possessionem

La-

Lateranensis Ecclesiæ, vt moris est adeunt: præfati sunt dies, quibus de more Sacra Capita populo frequentissimo exponuntur, & istis superadditi sunt infrascripti, scilicet; feria Quinta Baccanalium Congregationi Sancti Philippi Nerij, quæ tali die religiosissimè cum maxima populi affluentia, & pia gentium admiratione, vsquè à prædicti Sancti temporibus eam inuisere consueuit; Similiter infra Octauam Paschatis Resurrectionis Congregationi Nobilium sub inuocatione Sanctissimæ Assumptionis in Templo IESV erectæ, dieq. Dominico nouissimo mensis Octobris, si quando generalis Communio fit in eadem, & multis alijs occasionibus, vtpotè Venerabilium Archiconfraternitatum primarias Vrbis Ecclesias perlustrantium, siue aduenarum Principum, atque tunc cum speciali Decreto, & rescripto Lateranensis Capituli, Dominis Beneficiatis Custodibus Sacrorum Capitum directo, vel iussu Summorum Pontificum, quorum plerique, egregios Viros ostensione ista

deco-

decorare solent, & Anno præsertim Iubilei sæpiùs ostendi iubent, veluti de Gregorio XIII. Victorellus scripsit: *Fece mostrare* (Anno Scilicet 1575.) *il Santo Volto, la Lancia, e le Teste de Santi Apostoli, molte volte oltre l'ordinario*.

Victorell in lib nuncup. Historia de GibileiPontif.par.3.fol. 418.

4 Denique S. D. N. CLEMENS. X. in præsenti plenariam largitus est indulgentiam illis, qui prædicta die translationis Sacrorum Capitum xvj Kalendas Maij præfatam Lateranensem Ecclesiam pœnitentes, confessi, & Sacratissimo Eucharistiæ Sacramento refecti deuote visitauerint, prout ex sequentibus liquet.

In præfato Arm. XIV. dicta lit. A. num. 180.

CLEMENS PP. X.

*Vniuersis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad augendam fidelium religionem, & animarum salutem cælestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, omnibus vtriusque sexus Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui Sacrosanctam Lateranensem Basilicam die xvj. mensis Aprilis à primis Vesperis, vsque ad occasum solis*

*lis*

*lis diei huiuſmodi ſingulis annis deuotè viſitauerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effunderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſsionem miſericorditer in Domino concedimus præſentibus ad quindecim annos tantum valituris, &c. Datum Romę apud S. Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die v. Aprilis 1673. Pontificatus noſtri anno iij.*

*Gratis pro Deo & ſcriptura.*

*I. G. Sluſius.*

Et hæc ſcripta ſint ad honorem, & gloriam omnipotentis Dei, & prædictorum SS. Petri, & Pauli. Amen, Amen.

FINIS.

# INDEX Notabilium.

## A

B



C

D



E



F

# I

## L



## M



## N

## O



## P

## Q



## R



nec-

ta:

# F I N I S.

*Lætitia ſempiterna ſuper* CAPITA *eorum.*

Iſaiæ cap. 51.



VRBANI V. PONTIFICIS MAXIMI
Ἐκφώνησις inuentis Apoſtolorum Capitibus

*Illuſtriſs. & Reuerendiſs.*

D. IOSEPHI MARIÆ SVARESII
Epiſcopi olim Vaſionenſis, Vicarij Baſilicæ S.Petri, & in Cappella Pontificia Aſſiſtentis.

*Inueni, Patrios tanti eſt liquiſſe Penates*
*Tædiaque æquoreæ longa tuliſſe viæ;*
*Amplexu tanti eſt me diuulſiſſe Parentum*
*Et ſpreuiſſe tuas ( Gallia ) blanditias;*
*O mihi prædulces, quos iuuit adire labores,*
*Quæ ſubij terra, quæque pericla, mari;*
*Vt tenerum mulcet pectus ſincera voluptas*
*Dum teneo gemina pignora ſacra manu;*
*Illa quidem multos iacuere ignota per annós,*
*Sed luci tandem reddidit iſta dies:*
*Fauſta dies, faſtiſque ſacris celeberrima, Phœbus*
*Te decoret, ſemper candidiore coma;*
*Hec Boreas turbet, neque fœdent nubila, ſed quo*
*Perfudit Rhodios Iupiter imbre riget;*

*Ili-*

*Ilicet, extollat quantumuis cæca vetustas*
*Tarpeia inuentum, quod fuit arce, Caput*
*Cum Romæ summam rerum portenderit, vndè*
*Iura Lybes caperent, indomitique Getæ;*
*En Capita Heroum, quorum Vox nuntia Christi*
*Audita extremas Orbis ad vsque plagas;*
*Vos ego suspicio clarissima sydera Cœli,*
*Vos Helice vitæ, vos Cynosura meæ;*
*Salue Petre tuum veneror Caput, ore Tonantis*
*Iussus Apostolici tu Caput esse Chori;*
*Pascendas commisit oues Tibi Christus, & altum*
*Claudere te voluit, te reserare polum;*
*Filius ęterni Patris, quem pandere primus*
*Ausus es, hæc fidei præmia digna dedit;*
*Nec satis, Empyreis inuexit sedibus, & nunc*
*Diffundit precibus dona superna tuis;*
*Sim licet indignus tanti successor honoris,*
*Immeritusque tuo considеam solio.*
*Mente tamen pura ne dedignare precantem,*
*Excipe propitius quæ tibi vota fero;*
*Tu quoquè diuini Pręco doctissime Verbi*
*Salue Paule, Caput lætus vtrumque colo;*
*Martyrij socijs vnà super astra relatis*
*Non nisi coniunctas fas adhibere preces;*
*Eia agite iratum terris inflectite Numen,*

Po-

*Ponat placatus tela cruenta Deus;*
*Discutiat craßas tenebras, gentesque vagantes*
*Romanæ cogat matris adire sinus;*
*Vnanimes coeant in mutua foedera Reges,*
*Et repetat Aygias tristis Erymnis aquas;*
*Subyciat demùm Latio se Grçcia, nectit*
*Quos nomen Christi nectat & una fides;*
*Tunc bellum iunctis Animis, armisquæ gerendum*
*Tunc Syria infandis eripienda Scythis*
*Et Domini tumulo quondam virtute recepto*
*Francica, & Vrbani Prçsulis auspicijs;*
*Robore Francorum, meque auspice gloria prisci*
*Temporis, & meritus restituetur honos;*
*Mox ista pietas aucta efflorescet in Vrbe*
*Largius vt reliquos permeet ad Populos;*
*Ipse adero, proprijsque oculis lustrabo, meumque*
*Curabo vigili sedulitate gregem;*
*Neu fortè inficiant contagia tetra cauebo;*
*Atque abigam duris crimina dira minis;*
*Hìc Domus, hìc Patria hìc reliquam si duxero vitam*
*Vrbani merito tum mihi nomen erit.*